PONTANO URANIAE LIBRI (6049 vers)

# LIBER I

U_1 Qui caelo radient ignes, quae sidera mundo
labantur tacito, stellis quibus emicet ingens
signifer, utque suos peragant errantia cursus,
unde hominum genus et pecudes, unde aequor et aurae
concipiunt motus proprios, unde optima tellus
educit varios non uno e semine foetus
et rerum eventus manant seriesque futuri,
dic, dea, quae nomen caelo deducis ab ipso
Uranie, dic, Musa, Jovis clarissima proles,
et tecum castae veniant ad vota sorores.
Dum canitis resonatque cavis in vallibus echo,
ipse legam laurique comas hederamque virentem,
ipse aras statuam viridi de cespite et umbras
lustrabo, tumuloque feram sollemnia dona
dilecti vatis, viridi quem monte sepultum
Parthenope liquidamque coli Sebethos ad undam.
Ipse chori pater ac princeps et carminis auctor,
Phoebe, adsis, noctisque decus Latonia virgo,
dique deaeque omnes, quorum sub numine caelum est.
Tuque adeo, comes Aonidum, dux optima vatum,
alma Venus (teneros nati sat lusimus ignes),
dum caeli errantes ignes, dum sidus amatum,
quo terraeque fretumque et magnus concipit orbis,
dum canimus quae signa tibi, quod pareat astrum,
diva, fave et niveis felix allabere cygnis ?
O mihi si Charites spirent, si blanda canentis
gratia mesopio contingat labra liquore.
Tu vero, nate, ingentes accingere ad orsus
et mecum illustres caeli spatiare per oras ;
namque aderit tibi Mercurius, cui caelifer Atlas
est avus, et notas puerum puer instruet artis.
Prima deum terras glaciali sidere circum
Luna meat, caelumque suo terit ultima curru.
Dux clara in tenebris, alienae obnoxia flammae,
aemula fraternis radiis et solis ab ore
ora fovens, quantumque ab Apollinis igne recedit,
hoc magis ipsa suum fundit mortalibus ignem.
Cornibus auratis primum, mox fronte refulget
jam media, medium caeli dimensa volumen.
Atque hinc obliquos vultus turgentiaque ora
nocte refert, tandemque, vago digressa meatu,
exsurgit solem contra, plenoque coruscam
orbe comam et fulvo totum caput explicat auro.

Septima quin etiam ut caelo concessit ab alto
mole gravis, septem ore vices, septem ore figuras
mutat agens circum, et parvum convertitur annum.
Hinc mare, quod magnum terras complectitur imas,
hinc variat rerum species ; quaeque humida ponti
stagna colunt errantque suis animalia silvis,
aemula crescenti reparant a lumine vires,
et multo imprimis implentur corpora succo.
Mox, ubi decrevere ignes, decrescit et humor
ille quidem, exhaustoque vices a lumine pensat,
paulatim et vacuae lassantur sanguine venae :
quod varii maris accessus variique recessus
ostendunt, quod frondosis in collibus arbos,
quodque salutiferae succis felicibus herbae.
Quam multos etiam furiis hinc saepe videmus
vexari, sortemque animo indignamur acerbam ;
saepe etiam morbo, aut dira languentia peste
corpora decubuisse ad humum sternique sepulcro.
Quid quod materies, viridique e monte recisae
aere trabes, multaque comam turbata ruina
fraxinus, Ioniumque abies versura profundum
ante diem effetae senserunt damna senectae,
exhaustasque situ vires ac robora clament,
curva senescentis lunae ni cornua servet
agricola, ingenti dum vellit ab arbore vallum,
et percussa gravi resonant nemora alta bipenni.
Haec eadem aerias arcis, Junonia regna,
temperat, idque licet certis cognoscere signis.
Namque ubi prima novos remeando colligit ignes
fratris ab amplexu rediens, si nubila frontem
occuluit, cornu per caelum invecta retuso,
pro, quantum nimbi terris pelagoque paratur ;
quanti etiam sese versent per inania venti,
si rutilo tum forte comam velarit amictu
oraque dispersis suffuderit ignea flammis.
Quarta dies sine nube sine pluviaque Notoque
spondet ad extremum constanti foedere mensem,
si nitidis nocturna genis, si fronte serena
incedit caelo et puro sese exerit ortu.
Ipsa eadem arctoo rigeat si tempora cornu,
tristis ab arctoo ventos tibi nuntiet axe ;
ast alia de parte trucem tibi suscitet Austrum,
tristis ab austrino rigeat si tempora cornu.
Hunc tamen ante diem si nulla effulxerit, heu tum,
heu male jactatas defenderit ancora naves,
ni labor et placidi succurrit dextera Phorci.
Quid dicam, cum plena oculis rutilantibus, aut cum
nigra genas duplici circum caput abdidit orbe
horrida nocte sua ? Di, longe avertite iniquum
imbremque pluviamque et agentis aequora ventos.
Cujus ut acceptae vires et cognitus usus,
templa deae statuere sacrosque ex ordine ritus ;
discerptumque viri corpus laniataque membra,
et multum lacrimis perfusos conjugis artus
finxit Niliacae tellus addicta juvencae,
et querulas sistra incassum percussit ad aras.

Hinc etiam Graii vates Aetnaeia furta
et raptus Siculae totiens flevere puellae,
Infernique Jovis thalamos, lamentaque matris
funerea, erratasque diu terrasque salumque
umbrarumque domos et sole carentia regna.
Proximus at spatiis et longe gressibus impar
accelerat Maia genitus, celer ille deorum
nuntius, auratis nectens talaria plantis.
Hic, rapidum propter solem sua plaustra reflectens,
nunc matutinos agili temone jugales
exagitat pelagique cavo caput exerit alveo ;
nunc Atlantiacae matris memor, Hesperidumque
rura videre parans fulvumque in frondibus aurum,
serus obit, sero flavum lavit aequore crinem,
et sero Herculeas linquit post terga columnas.
Sed sive immissis solem praecurrit habenis,
seu sequitur victusque terit spatia ultima metae,
non ipse ingentis oras, non liber apertas
audet adire vias caeli, Titania tantum
imperia et solis timet abscessisse quadrigis.
Ergo ubi ter nonasque plagas ter nonaque mundi
dimensus spatia, et curru dat lora secundo,
sistit equos. Mox coeptum iter ac vestigia rursum
nota legit, nunc ipse humilem demissus in Austrum,
nunc Boream et summas pennis petit arduus Arctos.
Et quoniam volucri rapitur sub sidera lapsu,
at nunc hos innixus equis, nunc convenit illos,
aut Jovis exquirens monitus et mitia jussa,
consilia aut senioris avi, violentave Martis
imperia et motos sullata pace tumultus,
hinc pedibus nectit pennas, hinc jussa deorum
nuntius exsequitur vario Cyllenius astro,
itque reditque viam totiens, mandataque portat.
Namque ubi Deliacasque rotas thymbraeaque propter
signa et Apollineos justa comes astitit axes,
tum vates responsa canit, tum pronus haruspex
exta notat, tunc et liquidas intentus in auras
oscinis explorat cantus et praepetis alas.
At si nocturnam Phoeben rorantiaque astra
et niveae tetigit secreta cubilia lunae,
agnovitque deae vultum et mandata recepit,
nec mora, digrediens monstratas excitat artes,
deducit pelago classem, secat aequora cursu,
ignotosque tenet portus, jam merce Sabaea
navem onerat, redit et Tyrio spectabilis ostro.
Hinc et Mercurio nomen, Romane, dedisti,
quemque et Arabs, quemque et Babylon Stilbonta vocasset.
Ast ubi summotasque domos et frigida adivit
tecta senis, solioque nepos acceptus avito est,
tum succos meditatur, et Idaeam panaceam
dictamumque legit, tum vulnera siccat, et udo
unguine lenit agens, adhibetque ad munera cantus.
Tunc vero strepitus armorum atque horrida bella
atque enses ac tela placent, tum vivere rapto
et praedas agere et discindere moenibus urbes
gaudet, et effuso caedem ingeminare cruore,

belligeri cum forte ducis se ad signa recepit,
et galea abscondit crines, et pectora ferro
inclusit, laterique auratum accinxit et ensem.
Fert leges ac jura fori, pacisque quietos
imponit mores, mandataque publica defert,
si jubeat genitor, cui civica munera curae,
et patres legere, et sanctum instituisse senatum.
At si candentis humeros et eburnea colla
exeruit, placidoque simul Cytherea petivit
amplexu, madidoque recens e crine fluentem
stillavit rorem blandosque afflavit amores ;
non ipse Inachiae memor aut fera vincla puellae
exsolvit, tristique obducit lumina somno
custodis monstri, aut torpentis ad hostia Lethes
traducit miseros per opaca silentia manes,
sed resides cantus in vertice Cyllenaeo,
formosae ludunt ubi festa ad carmina nymphae,
personat, et tenues moderatur pollice chordas,
ac non cedentes queritur tam crescere curas.
Uritur, et placidum cantando nutrit amorem :
ipse canit, tenerae cantus risere Napaeae.
Hinc felix regio mundique beatior ora,
quam lusus habitant molles, ubi segnis amorum
militia in vacuas exercet vulnera mentes.
Ver alit aeternos flores, passimque vagantes
incustoditae ludunt per gramina nymphae ;
otia cantantes mulcent ignava Camoenae.
Has inter succincta sinus, redimita papillas,
et roseum spirans fragranti vertice odorem
errat nuda genu per florida prata Voluptas,
cui volitant flavi per candida colla capilli,
ad frontem aurato religat quas fibula nexu.
Laetatur dea ; laetanti risusque jocique
assiliunt, somnique leves et mollior aura.
Hinc passim liquidi ambrosiae rorantur honores,
stillat Acidalius late liquor. At vaga nantum
ludit aquis, mixtim pueri nudaeque puellae,
grata cohors Veneri, chorus et genialis amorum.
Tum videas amne in medio rutilare favillas,
materna face quas Jocus hinc, ast inde Cupido
excussit : caluere undae, caluere natantes
afflatu. Media vehitur Lascivia cymba,
hortaturque monetque habiles agitare lacertos.
Hic aliquis puer, enando dum brachia jactat,
injecitque manum sociae furtimque papillis
inseruit ; tener ora rubor per grata cucurrit.
Hic aliqua, adnanti puero dum brachia miscet,
miscuit et femori femur, et simul oscula junxit.
Interdum se tota cohors in flumine mersat ;
non obstat pudor audaci, aut lux ipsa pudenti ;
luditur, et placidis immurmurat unda susurris,
emergit mox et campis se fundit apricis.
Dona legens selecta manu ac redolentibus hortis
errantis sequitur florum dea, conjugis aurae
flant super, et liquidis distillat odoribus aether.
Has oras atque haec Gnidiae loca laeta volucres

pervolitant circum, et Paphii vectantur olores,
numinis Idalii currumque rotasque volantes
qui subeunt, mollique ferunt per inania lapsu.
His Cytherea suum posuit pulcherrima sidus,
quo terraeque fretumque et magnus concipit aer,
et dulcis in corde agitant animantia motus.
Ipsa refulgentis auro interplexa capillos
Aurorae e thalamis radiorumque aemula solis
lucem aperit, reseratque diem mortalibus almum.
Interdum rapidis Phoebi deserta quadrigis
evocat oceano noctem, surgentibus astris,
admonet et placidi per amica silentia somni.
Verum ita digressusque suos, sua tempora pensat,
et sinuosa means niveis secat aethera cygnis,
ut solem petat, ad solem vestigia flectat.
Ipsa quidem caeli undecies ubi quina peregit
momenta, Eoo seu cum nitet aurea mundo,
Oceani Hesperias seu cum declinat in undas,
ipsa umbram in tenebris obtendit ut aemula Phoebes,
ipsa die radios ostentat ut aemula solis,
et lucem terris, et caelo lumina praebet :
tantos laeta suo de sidere fundit honores.
Haec decus, haec ipsa est hominumque deumque voluptas,
qua sine nil jucundum animis, nil dulce fatendum.
At medios caeli tractus, medii aetheris oram
fons lucis sol auricomus, sol igneus ambit,
sol, qui terrarum flammis opera omnia lustrat ;
ipse idem superum princeps ductorque choreae,
ad cujus numeros et di moveantur, et orbis
accipiat leges praescriptaque foedera servet,
agnoscant aurae imperium, maria alta tremiscant,
audiet et longe tellus fatalia jussa.
Atque hunc, ne qua opere in tanto decor ullus abesset,
praefecit luci rerum pater, ipse nitentis
spargeret ut radios, ipse ut lustraret Olympum
et terras simul et magnas liquidi aeris oras ;
unde dies, quique in sua terga revolvitur annus,
atque aevi simulacra fluunt, et tempus, et aetas.
Hinc ver purpureum vestit florentia prata,
spiceaque hinc campis flavescit messis, et aegrum
lenitura animum ac dulcem inductura soporem
distendit vacuas pinguis vindemia cellas,
et glacialis hiems resolutis ebria curis
ante focum molli solatur frigora baccho.
Hasque vices pater ille deum volventibus annis
esse dedit, quas ipsa aeterno foedere servant
tam certos elementa simul retinentia nexus.
Atque alii (horrendum), qua brachia pandit iniqua
parte poli chelasque audacius exerit ingens
Scorpius, hinc anni primos duxere meatus,
et primam fecere viam, cum partibus aequis
dimidium luci atque umbris sol dividit orbem,
ac noctem paribus suspendit Libra diebus :
ast alii saevae post horrida frigora brumae,
cum premit auratos Nephelaei velleris artus
Phoebus, et imbriferum rediit ver, omnia quando

alma parit tellus, quando omnis germinat arbos,
cum viret omne nemus, resonant cum frondea rura
concentu volucrum vario, pecudesque feraeque
exultant laetae in venerem, ac Tritonia monstra
ignibus incaluere, acer furit ardor, ut ipse
horreat indomitas Proceus contingere phocas ;
at misera in scopulis soloque in litore questus
Alcyone ingeminat vocesque effundit inanis,
multa querens, exosa diem, nomenque mariti
servat avis, Ceyca vocans, Ceyca requirens,
(ah miseram) rapidas repetens Ceyca per undas.
Nec vero non e summo quoque culmine Cancri,
qua regnat calor ipse et equos sol sistit anhelos
extremum invisens Ararimque atque ultima Thyles
litora, carceribus positis, exordia prima
hinc anni fecere, alacresque egere quadrigas.
At Numa frigoribus sub iniquum tempus, ubi ingens
declinat caelum et gelidum sol Aegoceronta
pronus obit, pronoque petit spatia ultima cursu,
qui fessos instauret equos. Hinc viribus auctus
deserit antipodum sedes, digressus et Austro
in Boream obvertit sinuoso calle, diemque
auget et obscuras nocti jam surripit umbras,
insudatque sequens clivo, atque assurgit in auras.
Has igitur solis metas, haec tempora servans,
Egeria monstrante, suum traduxit in annum,
ut quae prima novi repararet tempora cursus,
principia haec spatiis sua sortiretur oberrans
annus, et ad solem firmaret signa cadentem ;
sed Phoeben Phoebesque rotas et plaustra secutus
fraternum implevit germanae mensibus annum.
At Caesar solemque sequi, solemque tueri,
et solem lucisque auctorem dicere et anni,
solis et ad metam totas effundere habenas,
in lustrumque supervacuas concurrere partis
jussit, et hoc Latios inscribi nomine fastos.
Dicendum et variis fuerit qui gentibus annus.
Aegypti primum veteres fecere bimenstrem,
moxque quatergeminis complerunt mensibus ; inde
per bissena pari duxerunt sidera tractu
Arcades, at noster quot tempora continet annus,
annorum numero censebant Arcades, ante
jam geniti, quam luna suos ostenderit ignes ;
tantus honos, tanta est antiquae gloria genti.
His totidem adjunxere animis et Acarnanes altis
tutati ferro patriam, mox funere in ipso
conjecere animas, et honesta morte suorum.
Italiae licet antiquos evolvere fastos.
Namque alium primo Romae nascentis in ortu
instituit pater et gyro breviore coegit.
Promovit spatium Numa, nec Laurentibus idem,
idem erat Albanis. Alium qui Tiburis arva,
quique Ferentina cererem metit incola falce,
et tenuere suis habuereque in urbibus orbem.
Ille etiam ventos tempestatesque futuras
atque imbres aestusque graves et frigora monstrat.

Namque ubi caeruleo rapidum petit aequore caelum
exoriens, aperitque diem natalibus undis,
si nigram obscuro faciem variaverit ortu
concavus, inque atram condentur lumina nubem
et pelago et terris violentior incubat Eurus,
turbatasque amnis in pontum devehet undas.
Quin etiam ut nullae densentur in aere nubes,
si tamen aut hebetes radii torpere videntur,
aut si plus nimio torrens incanduit ardor,
collige venturos imbres. At pallida quando
Aurora oceano caput exerit, horridave inter
nubila diversis rumpit sol partibus, et nunc
obliquos effert radios, nunc pallidus ore
delituit nimboso, heu, rupto foedere, caelum
in terras ruet, et saevum per inane rotatae
praecipitent nimborum acies, quae grandine mixta
arboribus stragemque dabunt et vitibus almis,
vix ovium ut clausos defendant culmina foetus.
Non mihi tum, non claustra boumque armentave equarum
ducenda a stabulis, non me extra tecta domorum
ducet iter. Servanda dies, quam rite serenam
spondeat, oceani seras cum lucidus undas
intrarit, non nube comam, non turbidus ora,
sed qualem Hesperio Tethys suspirat in antro.
Quod si tum quoque nigranti velatus amictu
occiderit, sive ipse suo quanquam emicat ore,
si tamen aut atras nubes raptaverit, aut si
palleat et maculae fundant sese undique nigrae,
venturam expectes pluviam. Non te optima fallent
indicia, et multis nota experientia saeclis.
Vidi ego, cum rutilos Aurora immitteret ortus,
igneus aut roseo se tingeret aequore Titan,
ventorum ingentis sudum per inane catervas.
Vidi et, cum rutilus maculis inspergitur ignis,
praecipitem jactari undosa ad litora navem
amissis fluitantem armis ac dura gementem
verbera et effracto nudatam lintea malo.
Nulla salus, spes nulla viris : in vota precesque
vertuntur : vacat ars : miserae exoptantur arenae,
et dulcis terrae exsortes tanguntur amore.
Tanta mole ruunt immissis imbribus Euri.
Denique cum rebus causas, cum semina causis
sufficiat, gravido fecundans viscera partu,
nec quicquam sine sole novas in luminis auras
prodierit, pater ipse hominum, pater ipse animantum,
quaecunque aut viridi nemorum pascuntur in umbra,
caeruleosve secant latices, aut aera carpunt ;
hinc bissena deo solvebant vota quotannis,
Phoeboque et Nomio, Lycioque, patrique Lyaeo
et quibus ad lucos, quibus in solennibus aris
nominibus venerata deum officosa vetustas,
Delion ac Clarium, nec ficto nomine Osirim,
confecit certis vel qui Pythona sagittis
sanguine foedantem terras virusque vomentem :
plurima quae veteres Graium cecinere poetae.
Namque ubi se informis rerum atque incondita moles

digerit, inque suas abeunt elementa figuras,
tum tellus gravis imbre et adhuc stagnantibus arvis
fumida, anhela vagos tollebat ad aethera tortus,
involvens caelum nube et caligine opaca.
Hic ille immanis Python, immania cujus
corpora jamque deos et divum tecta petebant
ipsum etiam invasura Jovem, cum Delius arcum
intendens tulit acer opem. Namque, agmine facto,
emittens rapidas torrenti e sidere flammas,
in gremium matris luctantem et acerba tuentem
intorsit. Stetit ille tremens. Tum colla revinctum
centum implexa modis, centum religata catenis
ad manes imos atque intima Tartara traxit
victor, et obscura caelum caligine solvit.
Hic Python, haec tela dei, victoriaque haec est.
Latonae gemini partus, bina edita Delo
pignora nunc quae sint (paucis adverte) docebo.
Latonam Graii terram dixere poetae,
Latonam dixere solum. Latonia tellus
omnia progenuit, mater divumque hominumque.
Atque ubi se in proprias coepere elementa figuras
induere optatumque locum et data munia obire,
ipsa quidem medio mansit, sed mole liquenti
instabilisque etiamque tremens, quando aequora nondum
in certas ierant sedes, sed corpore mixto
pugnarent, et adhuc nullo sub foedere pontus
terraque se duris urgerent legibus, ut jam
unda solum traheret, tellus maria alta teneret.
Paulatim calor ille deus, cedentibus undis,
telluri sese insinuat, gremioque receptus
felicem partu genitricem implevit ; et inde
di geniti Phoebusque potens Hecateque triformis
emergunt. Illa acta polo interiore resedit
horridior, glaciem spirans et degener ore
femineo, minus atque habilem sortita calorem ;
at Phoebo natura mares animosque vigoremque
addiderat. Volat acer equis, atque aethera carpit
jam medium : stetit hinc superum longo agmine cinctus
et pharetra insignis humeros et crinibus aureis.
Hos Delo genitos magna, magni aequoris oris
crediderant, Delo excelsa, cui vertice summo
splendet apex quotiens caelo Latonia luna
exoritur, visitque suum sol aureus orbem.
Fluctibus hinc rapidis tremuloque emergere ponto
credebant, vastoque maris delabier alveo,
indulgente suis Delo cunabula natis ;
quin etiam Ogygiis olim cum mersa sub undis
paulatim exereret tellus caput, oceanusque
in sua jura suos fessus concederet aestus,
et tandem emicuit stellanti lumine caelum,
tum prima ex undis vastoque e gurgite Delos
prosiluit. Fulxere apices et vertice Cynthus
lucifero, qua parte dies surgebat et altum
Sol oriens curruque et equis insignis obibat.
Hunc et Pastorem converso nomine dicunt,
quod pascat quicquid sub caeli nascitur oris ;

quodque fores nascentum aperit, quod claustra relaxat
gignentum tenerosque educit in aera foetus,
hinc Jano nomen fecere ; hinc nomina Phoebo
ipsa dedit species nitidoque in corpore fulgor ;
idem quod volucres nervo stridente sagittas
torqueat, et certo defigat vulnera jactu
morbosque illuviemque ferens, hinc notus Apollo.
Quod solus caelo apparet fugientibus astris,
solus et immenso late loca lumine lustrat,
hinc solem dixere patrem lucisque dieque.
Sponte etiam immissis caelo quia fertur habenis,
Liber. At Herculeo laetus cognomine, quando
disjicit aerias nubes lucemque ministrat
aeris ipse decus, decus et sua gloria caeli.
Quin et Threicius divino carmine vates
hunc nitidum Phaneta vocat, quod surgeat Eoo
orbe recens, quod mane novos instauret et ortus.
Inde etiam auricomum Aegyptus veneratur Osirim,
Aegyptus, cui cura deum, quod lumina mille,
mille micent oculis passim radiantibus ignes.
Lyncea quin etiam, quod vis populantibus umbras
luminibus, quodque et radiis fugat humida passim
terrestrisque abigit fumos et nubila differt.
Ut lupus insidias meditatus pascua circum
insectatur oves rabie ferus et ferus armis,
pertentatque aditum et saeptis sese arduus infert
dentibus infrendens, et morsu exasperat iras,
hinc Lycius sibi nata deus cognomina fecit.
Quin et Mercurium, mutato nomine, dicunt
Argum somnifero victum stravisse caduceo
insomnem, centumque oculos ac lumina centum
pandentem, et niveae servantem pascua vaccae.
Argus enim caelum est, vigilantia lumina flammae
aetheriae et vario labentia sidera mundo,
quae passim multa sublustris noctis in umbra
collucent ; sed mox, Phoebo exoriente perempta,
torpent luce nova et candenti lampade victa
emoriuntur et obscuro conduntur Olympo.
Nec deploratum Veneri linquamus Adonim,
venantem quem durus aper sub dente peredit.
Non illum fontes nec amici flumina Nili
infletum volvere : novus dolor attigit amnes.
Septem illi totis ripa latuere diebus,
et septem plenis spumanti margine ripis
exsiluere, cavo digressi fluminis alveo,
stragem agris stragem et pecori stragemque colonis
cum ferrent ; miseri tantum mors angit amici.
Balsama te et myrrae, te cedrus flevit, Adoni,
te lauri strata per humum luxere corona ;
ter myrtus conata sequi miserabile funus,
ter radice retenta sua est, ter brachia flexit,
ter frustra lentos conata est flectere ramos.
Ipsa Venus, postquam lacrimae effluxere genisque
defecit liquor et capiti coma longa revulsa est,
ter mensem exanimis jacuit ; vix denique quarto
lucem hausit, vultus et adhuc suspirat amatos.

Terra etenim solem queritur deserta cadentem,
invidit quem tristis hiems, cui saevior apri
horret cana gelu facies, cui plurimus imber
crine madet, geminos et cum male concutit armos,
diglomeratque nives et grandine verberat auras.
Nam cum sol rebus praesit pater ipse creandis,
ut sese ad manes brumae sub frigora transfert,
tum tellus vidua sulcos oblimat in alvo.
Ac veluti virgo, absenti cum sola marito
suspirat sterilem lecto traducere vitam
illius exspectans complexus anxia caros,
ergo, ubi sol imo victor convertit ab Austro,
tum gravidos aperitque sinus et caeca relaxat
spiramenta, novas veniat qua succus in herbas,
et tandem complexa suum laetatur Adonim.
At quam Sebethi fontes, quam caerula lambit
Phormelle, quaeque et Musas colit ociaque ornat
Pieridum, et magni tumulo tegit ossa Maronis
Parthenope regum domus et decus ipsa virorum,
clara armis, clara ingeniis et fortibus ausis ;
haec annis florentem oculisque et crine decentem
Hebonem venerata, suos ritus patriumque
instituit morem et, sacris jam rite peractis,
urbs Hebona salutat, agrique Hebona frequentant,
Hebona et referunt simul antra et litora et amnes.
Hic etenim florem aetatis roburque juventae
et speciem deus et formae dat habere decorem,
oraque luminaque et moderantis corpora sensus.
Sed prius Herculei torrentia sidera monstri
solstitio vicina domus locaque edita caeli
diffundent terris hiemem glacialibus Euris,
ante et conspicui summo de cardine mundi
flava Lycaonio surget Pallantias axe,
atque diem averso subtervehet Auster Olympo,
stabunt et caeli septem labentia signa,
quam fando patremque hominum regemque deorum
laudibus aut meritis tollam, aut aequem ipse canendo,
quem centum celebrant arae, quem nomina centum.
Ut siquis, jubare exorto, Phoebeia demens
ausit obire oculis ora atque haurire videndo,
illicet ecce illi torpescunt lumina et ipsa
caligant in luce oculi, tum tempora circum
offundit sese nubes et fumida oberrans
caligo, ac nigrae caelum eripuere tenebrae ;
usque adeo nec fas oculis comprendere cuiquam,
nec fando terrae decus et decus aetheris alti,
unde sibi proprias ducunt animalia vitas,
unde trahunt nostrae caelestia semina mentes,
quo sine nec spirat quicquam, nec nascitur usquam,
nec color ullus erat rebus, tenebrisque malignis
et caelum et terras nox circumfusa tenebat.
Et jam intacta mei superat pars maxima coepti,
ac mentem calor instigat. Juvat alta vagari
sidera et immenso propius succedere caelo ;
Magnum opus. Et jam signa dei fulgentia terrent,
armorumque haurit strepitus clangorque tubarum.

Ipse deus rapidis insistens pronus habenis
tela manu quatit insultans, acerque cruento
ore tonat. Pellunt agili temone jugales
exsanguis metus atque tremor, tum ferreus ora
terror, sanguineumque pavor quatit ante flagellum,
ille quidem divis jam formidabilis ipsis.
Sed mihi digna viro atque animi sibi conscia virtus
suadet iter, penitusque aditus intrare repostos.
Hanc non terrisono prosternere fulmine Cyclops,
non facibus crinem ipsa feris implexa Megaera,
nec vis ulla queat Stygiis emersa tenebris.
Illi ferratum galea caput inclyta bellis
atque deum fato major prudentia servat,
at clipeo indomitum munit constantia pectus ;
stant adamante togae, totosque infusa per artus
temperies valida sese metitur in hasta ;
ante vigor mentem hortaturque, animosque viriles
aere ciens magno laudum succendit amore.
Hac duce, Junonis odiis jactatus iniquae
Amphitryoniades tot monstra ingentia victor
fudit humi. Non hunc liventibus obsitus umbris
Cocytos, non sparsa novem per jugera monstrum,
aut impacatae deterruit incola Lernae,
quo minus Infernosque lacus et opaca videret
Tartara, captivum et supera ad convexa referret
ipse canem ; quin astrigerum subnixus Olympum
labentisque domos divum cervice refulsit :
et dubitem mente haec complecti et pandere dictis ?
Efferus has habitat sedes deus ; huic comes haeret
et bellum, bellique parens discordia, et irae,
injustum, insidiaeque, et pallida tabe cruenta
caedes, inque suum rabies armata cruorem.
Ipse enses ac tela inter radiosque rotarum
versatus ferrum exercetque aptatque ferendo,
exacuitque mares animos et suscitat ira
implacidus. Martem hinc veteres dixere Latini.
Hunc Junone satum nullo Jove, patreque nullo
Oleniis conceptum herbis per Cresia rura,
eductumque Hebri ripis Rhodopeia ad antra
crediderant, animi indomitum adversumque Minervae,
scilicet aetherio mens est de fomite. At artus
corporeos, molem discordi e semine cretam,
Juno agitat. Ciet haec turbato in pectore versans
sanguinis ingentis aestus et colligit iras ;
unde avidus belli furor atque insania ferri
praecipitant. Jacet ingenti ceu pressa ruina
Mens super, at rapidus fervet sub pectore Mavors.
Hinc quondam magni tellus Jovis insula Crete,
Ionii Crete pelagi decus, inclyta bellis,
clara viris, capere arma et acutum cingere ferrum
prima dedit, curvo et spicula tendere cornu.
Post Thraces coluere, ferum genus, aspera duro
terra solo, gens ipsa jugis assueta nivosis
et praedas agitare et opimo vivere rapto.
Hoc etiam genitore satus Romanus et ipse
in patrium decus et belli sese extulit artes,

transgressus Latii fines transgressus et Alpes,
Oceano stetit et Bactris sera intulit arma
atque Indis, post edomiti septem ostia Nili
atque triumphatos non uno ex orbe Britannos.
Sed quamquam imperii impatiens et pectore saevus
indomito ac ruptis praeceps rapiatur habenis,
ipse tamen solium solis veneratus, adacto
curru sistit anhelus equos ; mox lora remenso
contorquet spatio, non ante ad munera recto
convertens cursu, quam princeps duxque deum sol
jusserit : illum adeo timet observatque tuendo.
Jupiter hinc solio longe spectandus ab alto
exerit os placidum terris, et fulgidus aureo
sidere felices mortalibus explicat ignis.
Hinc ego, si qua fides astris, aut si quid ab alto
aethera cognatum nostris in mentibus haeret,
crediderim fas ac leges et jura piumque
et rectum manare et amicae foedera pacis,
crediderim insontis scelerum expertisque malorum
mortales agere, et felicibus addere saeclis
saecula, perpetuumque annos extendere in aevum ;
tanta Jovis placidi clementia, ni malus atro
sidere torpentis Saturnus funderet ignes,
funderet et leti causam infelicis et omne
morborum genus et miserae mala plurima vitae.
Jupiter inde pater cunctorum auctorque bonorum.
Quin varios etiam ipsa Joves commenta vetustas.
Jupiter omnipotens, rerum qui summa potestas,
tu rerum sator et divum pater atque hominum rex :
ab Jove principium generis ; Jovis omnia plena ;
ille colit terras ; illi sunt omnia curae.
Hinc tot sacra deo fumantiaque exta ferebant,
hinc Capitolinae dominator Jupiter arcis,
totque triumphantis vidit de rupe Quirinos
sanguine tingentis aram et candente juvenco.
Quin etiam rapido qui turbine vertitur aether
ignibus incandens, quique aera lustrat opacum
pro Jove respersas sensit sibi frugibus aras.
Hinc tener ille calor tepidaeque ex ignibus aurae,
quo terraeque fretumque et magnus concipit orbis,
conceptosque fovent turgentia semina fetus ;
dictus ob haec late in gremium descendere amatae
conjugis et placidam amplexu captare quietem.
Aeris ipse etiam campos tenet, unde per auras
fulmineo invehitur curru, quo maximus Atlas
intremuit, tonuere poli, atque exterrita pressit
corda virum pavor exanguis. Ruit arduus acta
ventorum mole, ac rutilantia fulmina torquens
alta petit, vallisque cavas in nocte profunda
involvit, nigra et caelum caligine condit.
Tum pluvia et largis exundant imbribus amnes,
subjectique natant campi ; crepitantia grando
tecta ferit, dirum lapides vertuntur in imbrem
infandi, prostrata jacent armenta per agros
spirantisque vident natos stagnantibus arvis.
Mox uno immersa exitio cum montibus altis

it torrens, praecepsque insano vortice torquet
obvia et obstantis annoso robore silvas,
implumesque avium nidos cum matribus ipsis
proruit, involvitque ferarum horrentia lustra.
Ipse autem, sulco insudans dum insistit, arator
avulsus stiva immensum per inane rotatur
turbine jactatus volucri et nigrante procella,
illumque et miseros sub adunco vomere tauros
in latus adversi montis jacit, et praerupta
valle viatorem resupino corpore volvit
praecipitem, et latis excindit moenibus urbes.
Nec minus interea ventis maria acta tumescunt :
assurgunt undae et montes volvuntur aquarum
aequati caelo, fluctuque exterrita rauco
saxa sonant. Ecce abruptis assultibus aestus
incumbit pelago, atque ingenti vortice navem
infligit scopulo agglomerans et litora complet
funeribus miserorum, atro aut ter gurgite tortam
haurit hians, operitque cavo mox aequore pontus.
Qualia dum attonitae mentes mirantur, et horror
corda quatit, certae nec cognita causa ruinae,
invenit metus ipse Jovem, cui fulmina dextrae
assignant ac tela nigris humentia nimbis
et, caelo resonante, leves per inania currus.
Has iras Jovis esse canit longaevus haruspex ;
adversi non aequa dei portenta sacerdos
terrificat ; dira ingeminat per pectora curas
religio, illa quidem magnorum causa malorum.
Caeduntur lectae passim de more bidentes,
et cadit ante aras infelix victima taurus ;
discurrunt trepidae per templa adolentia matres,
matres, atque viri : tum longa in veste dialis
thura tenens ferit exta Jovi, flammisque per aras
exquirit veniam et summissa voce precatur,
ipse novem castis repetens stata sacra diebus.
Artibus his metus ille deum percrevit, et error
invasit miseras sub honesto nomine gentes.
Quid vexare deos frustra juvat ? Ordine certo
fert natura vices, labuntur et ordine certo
sidera, tam varios rerum parientia casus.
Illa suos peragunt cursus servantque tenorem
sorte datum ; parent illis elementa, fidemque
imperii mutare timent. Sic omnis ab alto
natura est ; sequitur leges quas scripserit aether.
Ipse Deus laeto spectat mortalia vultu.
Ultima sorte senex loca possidet, ultimus auras
ambit et aeterno contristat frigore terras.
Nigra seni facies, tardus gradus, horrida barba,
et cani crines, et membra effeta senecta ;
ingenio tamen ipse bonus, nec inutile pectus
consiliis constansque animi prudensque futuri.
Hic olim, ut fama est, regnis expulsus Olympi,
post varius tandem casus caelique marisque,
litore in Hesperio tusci prope Thybridis amnem
consedit, laribus tum primum acceptus amicis.
Hic regem aequaevum residemque ad munia gentem

arbuteo avertit victu ; tum, vomere tauros
subjungens, docuit tellurem invertere et arvis
semina committi, quae mox jam vere peracto
stringeret et fragili contunderet arida culmo ;
quin etiam scrobibus vites, sua munera, primus
committens curvaque premens jam falce novellas,
Lenaeos latices ignotaque pocula monstrat,
dispersosque vocat populos ac moenia ponit.
Hinc Latium latitante deo, hinc Saturnia tellus
dicta viris ; deus hinc Latiis, deus additur aris
vitisator curvam servans sub imagine falcem.
Mos erat antiquo in Latio ac Laurentibus arvis,
qui meritis patriam inventasque auxere per artis
atque acuere suos ad publica munera sensus
utile commenti in medium et nova commoda vitae,
in numerumque referre deum atque hos addere templis :
ut Janum, Faunosque, ut quem pollentibus herbis
fecit avem et variis pinxit dea daedala pennis,
ut geminos etiam Pilumnia numina fratres,
ut cujus famulata domus pinaria sacris,
et carmentali tribuit quae nomina portae :
purpura quin etiam ad summos ubi venit honores
ambitioque caput caelo intulit, hinc Hadrianos
et Nervas, hinc Caesareae tot numina gentis
et coluere quidem et templis posuere dicatis.
Heu, rerum ignarae mentes ignaraque veri
pectora, quid simulacra juvant ? Quid luce carentum
corpora ? Et incensis pacem tot poscere ab aris ?
Unus enim sator est rerum, qui cuncta gubernat,
quemque oculis neque cernere erit neque tangere palmis,
sed tantum mente invenias. Namque arduus imas
despectat nubes et caeli culmina pressat,
cuncta regens ; nam cuncta tulit longe optimus auctor
perfectorum operum et rerum causa una bonarum.
Hunc neque marmoreis renitentia templa columnis,
non auri pretiosus honos, non Indica concha,
nec quae Phidiaco spirant simulacra metallo,
aut tauri ante aras fusi cervice cruores,
sed precibus jejuna piis et conscia recti
mens placare queat facilem parvoque volentem
munere, si qua pii summittunt thura Sabaei.
Sed nos, incertum spatiis dum currimus aequor,
longius evehimur vento rapiente per altum ;
jam portus capere optatos et cedere fessum
aura jubet, litusque sinum convertere ad ipsum,
sideraque alta sequi, certosque intendere cursus.
Prima igitur niveis Phoebe Latonia bigis
invehitur, posthinc ales Cyllenius altis
excurrit spatiis, justaque Erycina canoras
jungit aves, cui blanda comes fert lora voluptas
divinum stillans rorem ambrosiamque capillis.
Quadrijugis hinc vectus equis sol igneus ambit,
quem procul insequitur rutilanti sidere Mavors ;
post felix caeli sidus Jovis emicat ignis ;
ultimus extremo torpet Saturnus in orbe.
Hic prope terdenis mundum vertentibus annis

ambit et in partis, quas liquerat ante, revertens
percurrit tardis caeli momenta quadrigis
pallidus, ac duros affert mortalibus annos.
Clara Jovi facies ac lumine sidus amico,
bissenisque annis bissena relabitur astra.
Bis cererem legit messor, bis vinitor uvas,
dum bis sex rutilus percurrit sidera Mavors,
Mavors arma serens et tristia crimina belli.
Thymbraeas paulo ante rotas Venus aurea metam
attingit, cupidas acuens in pectore curas,
sive diem laeto secum fert roscida vultu,
seu noctem Hesperiis decedens suscitat undis.
Hanc curru properante celer Cyllenius anteit,
ipse quidem ad causas et linguae promptior arma.
Terdenas iter assuetum Latonia noctes,
noctes atque dies et mensem pervigil errat,
dum solem rursum assequitur novaque astruit orsa,
Oceanum interea alternos auctura per aestus,
visura et blando crescentia semina vultu ;
sed quamquam properare viam juvat, ipsa, relicto
aethere, (cogit amor) per amici devia Latmi
furtim saxa petit complexus inter amatos
attrectare suis tenerum Endymiona lacertis,
non tamen ausa viri mollem turbare quietem.
Sed quamquam vario fulgent quae sidera mundo,
quaesitum est, num luce quidem Phaethontide fulgent,
an proprios natura illis indulserit ignes.
Non dubium quin luna notho splendore per auras
raptetur, minuatque sequens, fugiensque rependat
luminis alternos haustus, fraternaque rursus
ora fovens nullos terris diffundat honores ;
at procul e regione means, tum denique toto
ore vomit flammas et luce refulget honora.
Et quanquam varias mutat tamen una figuras,
non unquam medio magis, aut minus emicat orbe.
Nam cum desertas amisso lumine terras
nulla fovet, tum plena diis caeloque ministrat ;
tum quoque praetumido suspectat sidera vultu,
cum nova curvatos reparando colligit ignes.
Sidera dum terrasque aequata fonte tuetur,
orbe micat medio ; mox curvo sidera cornu
suspiciens, tumido spectat mortalia vultu.
Tum nullis caelum radiis nullo ore tuetur,
plena ferit tremulis cum stagna liquentia flammis.
Hinc superis caeloque datur quod demitur orbi.
Ergo, aliena fovens in opaco lumina semper
corpore, Phoebea nusquam de lampade fulget
corpore non medio, non plena lucida fronte ;
sed specie tamen alterna, ni forte sub umbram
inciderit terrae atque hinc luce laboret adempta.
Quae quoniam volucri fertur sub sidera lapsu,
aestivi tam saepe premens cava tergora Cancri,
nimbosum tam saepe etiam delata sub Austrum,
incandens tam saepe aestas ac frigida bruma
instaret, sortita suum si luna calorem
proxima nativis succenderet ignibus arva,

aut longinqua neget proprium procul acta vigorem.
Unde maris certi accessus, totidemque recessus ?
Unde et perpetuo manantia flumina cursu,
aut alimenta trahant gignentia ? Quae pater ipse
prospiciens, lunam obscura ferrugine tinxit
caeruleos moderantem aestus liquentiaque arva.
Quin etiam licet atra genas et opaca per ora
pallor eat, tamen, interior qua cogitur orbis,
densa situ magis et scabra rubigine sordet.
Ergo et cum solem adversum se agit undique, et ipsum
implevit radians Phoebei luminis orbem,
qua squalet parte atque horret caligine, densas
obducit maculas et se sua reddit imago ;
aerea qualis ubi clipei fulgentis ab ipso
sole repercussa est, aurato fluctuat orbe
clara aciem flammis et luce corusca decora,
verum si qua tamen nitido super aere resedit
scabra situ turpisque atra rubigine labes,
stat maculis obducta aciem, stat squalida vultum,
non Phoebi radiis, non ulli pervia flammae.
Praeterea cur sola acies immota deorum
cernitur obtutuque haeret defixa sub ipso,
cum tot et illa quidem sidentia signa micanti
scintillent radio, tremulusque internatet ardor ?
Scilicet alta illis regio sedesque repostae.
Quo postquam advenit defesso lumine visus,
defessus tremit ipse, tamen tremere ipsa videntur
astra ; micant radii, lumina nostra tremiscunt.
At contra vicina deum statio ardua quamquam,
prospectu facilis tamen atque immota tuenti ;
quo penetrans stat certa loco insistitque videndo
nostra acies, fixisque oculis immobilis haeret.
Plumbea si acta manu balearis pondera fundae
concipiunt malegratum ignem flammisque liquescunt,
si ferro praefixa et nervo impulsa sagitta
aera per vacuum ignescitque ardetque volando,
quid mirum, circumfusus si candeat aer
percitus aeterno motu atque urgentibus astris ?
Principiis vero ex illis constare videntur
sidera et aetherium inde olim traxisse vigorem,
qua volitant rapidaque polum vertigine lustrant,
et celeri bijugum cursu vectantur equorum.
Quae postquam facili perfecit singula nutu
ille opifex rerum et mundi inviolabilis auctor,
concilium vocat et superos arcessit Olympo.
Est procul immensi regio late ardua mundi
non homini explorata, humano aut cognita sensu.
Hic sedes augusta Dei, siquando vocatis
dat leges superis, aut publica munera tractat.
In medio sedet ipse : astat Sapientia dextra,
hinc Amor, et solio resident tria numina in uno ;
sub pedibus Natura potens, Tempusque, Locusque,
et varians Fortuna, atque immutabilis Ordo ;
inde alii proceres et convenientia late
Numina. Et incessu jam tum graviore notatus,
Aegocerontei referens spolia inclita monstri,

Saturnus gratam senior justa astitit Urnam,
Saturnus, cui cana coma, cui sordida vestis.
Quem justa pharetram incinctus volucrisque sagittas
laetus Achaemenio consedit Jupiter arcu,
squamea cui geminis horrescunt baltea monstris.
Hinc Mavors rigido crispans hastilia ferro
suspenditque Nepam galea, conoque minantes
librat agens Chelas ; tum cornibus acer aduncis
asperat et clipeo pugnas meditatur aheno,
excussitque Aries caput et pede proterit auras.
Tum voce et cithara gratus nitidaque juventa,
horridus idem etiam pharetra spolioque Leonis
Phoebus adest, Phoebique comes Lux aurea, cujus
munere non tenebras superi, non nubila norunt.
At Venus auratis humeros armata sagittis
candentemque manum flammis, licet editus esset
nondum Amor, urentes jam tum meditatur amores,
jam tum sollicitis animos incendere curis ;
atque illi vario radiabat candida limbo
vestis, et in molli surgebant lilia prato,
et quot vere novo tellus parit alma colores.
Inter quos tenerum niveo candore Juvencum
urit amor. Nunc ille Notus atque aera captans,
heu, male dilectos queritur desertus amores,
nunc maeret viridi infelix projectus in herba ;
interdum ingenti frondosa per avia saltu
proripitur, sequiturque inventam fortis amicam
jam victor, mox victus et exspes ; hinc latet antro
abditus, et miseras rumpunt spelaea querelas.
Ipsa autem media divorum in parte resedit,
autumnus paribus qua tempora dividit horis.
Virginis hinc facie insignis flavoque capillo
Mercurius, geminae nectunt talaria plantae :
ipse puer laetus studio et puerilibus annis.
Ac tandem rapidis velox Latonia bigis
alba genas niveaeque nitens in vellere lanae,
candida subrutilis redimita monilia Cancris.
Ergo ubi convenere animisque opibusque parati,
quales jussi aderant, intentique agmine longo
exspectant signum atque alacres praecepta capessunt,
tum genitor solio placidus sic coepit ab alto :
"Cuncta equidem, o superi, placuit quaecumque creavi ;
sic volui, nec nos umquam fecisse pigebit.
Auctorem illa suum referunt, nec deficit illis
ipse opifex ; operi decor, et praestantia juncta est ;
est rebus sua cuique fides, est et locus. Ignem
et terras jeci primordia ; quae tamen inter
aeris immensos campos Neptuniaque arva,
quod sibi perpetui constaret machina mundi,
congessi, mundumque aequa compage ligavi,
nexibus alternis et amico singula vinclo.
Vos autem caeli meliore in parte locavi,
aetheriumque dedi insontis habitare recessum.
Nam quamquam geniti et coeptis mortalibus orti,
nascendique vices et jam revocabilis ordo
obsistunt, at nostra illis pollentior est vis,

non rerum causis, non ulli obnoxia fato.
Nunc igitur quae certa manet sententia menti
accipite, et quae sit reliquis mihi cura creandis.
Absolvenda quidem mundi inferioris imago,
quando etiam generis rerum tria semina restant,
nec manibus tractare deum mortalia fas est.
Quare agite, et celeres quam primum ascendite currus
aggressi mortale opus et genus omne animantum ;
aerias celebrate plagas, serite aequoris undas
tellurisque sinus gravidos, ut ne qua peracto
pars operi aut rebus desit pater ipse creandis.
Imprimis teretes hominum fingentibus artus
artificem navare operam, tum condere membra
cura sit, aetherios divini seminis haustus
apta haurire animos caelesti e fomite ductos.
Hi fundare urbes populis, hi ponere jura,
addere et imperio fasces, dare nomina rebus
assuescant, rectumque sequi, atque offerre periclis,
et pugnare malis, et honesto vivere parto,
atque inopes rerum casus superare ferendo,
dum fluidum solvetur opus, dum carcere laxo
jussi sidereas caeli revocentur ad arces.
Interea altrices operas victumque volentes
fundite, et ingentis animos accendite laudi,
rectorem ut noscant superum, patriamque requirant,
et genus, et caeli sursum templa ardua cernant,
auctorisque sui memores justumque piumque
servent, et placidos discant non temnere divos.
Sic placitum, sic nostra fluant certo ordine fata."
Dixit et ingentem nutu concussit Olympum.
Illi praecipites liquidum circum aethera lapsi
jussa obeunt, verruntque rotis properantibus auras.
Nec mora : vestiri colles et roscida prata,
innarique aer pennis atque aequora caudis,
quadrupedum et resonare gravi sola concita cornu.
Fagiferae viridante jugo, viridantibus Alpes
vallibus, et viridante cacumine Caucasus ingens
laetatur, furtis olim doliturus iniquis.
Illicet ecce caput viridi circumdat amictu
Aetna, giganteae dolitura incendia pugnae ;
illicet umbrosis vestita est vallibus Ida,
Ida gravis Trojae deploratur ruinas.
Frondet Athos, frondetque jugis immanibus Oeta
Herculeum visura rogum, creberque Erymanthus
ilicibus, longaque coma spectabilis Haemus.
Ostentat Rhodope comitantis Orphea silvas,
Orphea mulcentem tigres et carmine lyncas,
sed non femineos moderantem voce tumultus.
Maenalio stupet in saltu dum increscere cornum,
non sensit quercu sese frondere Lycaeus.
Gargano in magno, in nimbifero Appennino
dum crescunt tiliae atque orni, dum vertice Pindi
surgit acer, pinu interea se sullevat alta
Pelion et late pelago sua signa minatur.
Jam videas canentem oleis frondere Taburnum,
Asinios simul et colles Clitumniaque arva,

jamque Cybelaeis undare et Dindyma silvis.
Pampinea caput Aenarie bijugisque Vesevus
fronde tegunt, tegit et picea se Sila sub umbra,
ac buxo varius nectit sibi ferta Cytorus.
Proveniunt late campis caelestia dona,
plurima nux et pruna rubentia et aurea ramis
mala et odoratis non indecor arbutus hortis.
Ingentis patulae ramos, ingentia sursum
brachia porrigere ac radice in tartara ferri
et cerasi, palmaeque, et lotos amica Lyaeo,
atque in sanguineam morus post versa figuram
coepere, et mensis sorbus placitura secundis.
Erumpuntque solo biferae atque cydonia canis
frondibus, erumpunt sudanti balsama ligno,
Punicaque, et fragili nitens in stipite praecox,
ac de textilibus pendentia citria ramis ;
citria, quae semper (visu mirabile) vernum
spirant flore decus, semperque nitentia gratis
floribus ac fetu aeternaque virentia fronde,
citria Amalphaeis latebra haud incommoda nymphis.
Coepere et viridis mirari flumina ripas ;
canentis Ufens salices, et flavus arena
populeas Thybris frondes, quique aequora findit
Gallica, quondam etiam lacrimas Phaetontis amati
Eridanus misturus aquis, miratur et alnum
Nar praeceps, frondentem alnum, miratur et ipse
caeruleus Liris, tum cinctus arundine crinem
Vulturnus, flammasque deum sensurus Enipeus.
Sensit odoratos Indus subolescere ramos
caeruleo cum Gange, cavo et caput extulit antro ;
sensit thuriferum late nemus altus Hydaspes
et sua Oronteae senserunt cinnama ripae.
Dum Tagus aurifluo vectatur gurgite, et undis
in mare rumpit Anas, sullato lumine uterque
Pyrenes scopulis viridantia robora late
prospiciunt variare comas admotaque caelo
jam nemora et densas per saxa rigentia taxos.
Ecce sub haec varia sese Tegus integit umbra,
ipse et Anas viridi ripas vestitus amictu
frondenti vehitur per flumina summa phaselo.
Haud illi invidit Sicorisve, aut cultor Hiberus
gentis Iulaeae. Quin, qua vagus aequora findit,
hic choreas agit, et praecinctus arundine frontem
gaudet agros, gaudet Lenaeo palmite terram
Hesperiam frondere et alescere vitibus ulmos.
Quod frondes, Penee, novas mirare ? Quid umbras
et lauros ? Visure deum per pascua laetas
ducere oves, miserosque cava testudine amores
solantem, teque et Daphnen per prata vocantem,
visure et patriis natam frondescere ripis
tendentemque manus et flumina nota precantem,
candida dum subitus serpit per pectora cortex
(ah miseram) et viridem ducunt dum membra rigorem.
Interea colles florere, virescere valles
incipiunt, late et foliis mollescere rura.
Ver halat, Zephyris mulcent spirantibus aurae,

Chloris odorato devecta per aera curru
laetata et varias nemorum increbrescere frondes
spargit humi varios, fertur quacumque, colores,
quaque movet gressus surgunt violaeque rosaeque
Coryciique croci atque immortales amaranthi,
candida nec niveis cessura ligustra pruinis.
Ipsae etiam Charites socio simul agmine fundunt
certatim illa thymum roremque et molle cyperon,
haec casias caltasque, haec et vaccinia nigra
narcissi et lacrimas hyacinthi et nobile gramen
et thymbram et quot nunc tellus fert daedala flores.
Ipse Deus laeto spectat sua munera vultu.
Tum maris horrisoni fluctus liquentiaque arva
Neptuni pecus et squamoso corpore pisces
insiliunt ; alii scopulos et litora passim
curva petunt, alii pelagusque atque ima profundi,
aut tendunt Scythici Maeotica ad ostia ponti,
infidum genus in fraudem praedamque paratum.
Errantes passim et nullo custode vagantes
caeruleus longe Nereus videt, advocat udum
Protea, qui socias acies, socia agmina jungat,
et statuit pastorem. Illi data signa sequuntur,
ipse agit errantes ad pabula et ipse reducit
inde domum ; clarum e specula dat buccina signum.
Aera quin etiam pictae petiere volucres
armatae accurvis rostris atque unguibus uncis.
Ipsae iter intendunt pennis et cantibus auras
demulcent, tectae nemorum variantibus umbris.
Nullae illis certae sedes, connubia certis
temporibus ; tunc tecta locant, tunc figere nidos
cura subit ; mox ova fovent ac pignora curant,
atque edunt teneros plumoso corpore fetus,
optatasque ferunt aut ore aut unguibus escas.
Fatidicos avium cantus alasque futuri
praesagas dixere, neque aut sine numine divum
tendere iter pennis laeva dextrave ferantur,
aut canere et varias e ramis edere voces
nocturnas, seu de tectis ululare querelas.
Cernere erat longum in campis depascier agmen
quadrupedum, sociosque greges in pascua ferri.
Una ingens bos, una ariesque et saetiger hircus
cornibus armati frontem, et pede fortior ibat
acer equus, jam tum insidias et dura timentes
arma lupi et rabiem saevorum irasque leonum.
Discordes brutorum animae atque aversa voluntas,
discordi quoniam fuerint e semine creta.
Hinc pars indulgent herbis per pascua laeta,
aut latis quaerunt silvis Dodonida quercum ;
pars altis in speluncis per devia lustra
invigilat parto, et praedas agit ore cruento ;
pars repit terrae occultis armata venenis.
Parcendi studium nullum, nec cura futuri.
Sola hiemi metuens latebroso pumice condit
triticeos populata hominum formica labores.
Idem amor atque apibus eadem experientia parcis ;
sed nec agros populare palam, aut incumbere furtis,

cum juvet e proprio vitam tolerare labore :
justitiam norunt solae et servare pudorem,
aequales cunctis operae studiumque parandi.
Mane novos adeunt flores examine denso,
caelestemque legunt rorem atque in tecta reportant ;
mox vacuis stipant cellis, ut nectare largo
ignavas ducant hiemes et frigora temnant.
Quin etiam tempestates et sidera norunt,
armataeque repentinas vicere procellas
pendentis saxi molem ad cava crura ferendo :
usque adeo referunt divinum a stirpe vigorem.
Has pater e summi despectans vertice Olympi
miratur, tenues animas conamine tanto
nunc fundare urbes, aditus ac moenia late
munire et multo portas custode tueri,
nunc aliam natis patriam monstrare parandam,
immunes operum reges dare jura vocatis
in populis, illos jamdudum astare silentes.
Ultimus erupit gravida tellure creatus
spe puer ingenti, sed corpore debilis ipso,
nudus, inops, quem dura solo suscepit egestas,
eductum foliis herbarum et cortice crudo,
aut corno, aut si quam dederat Dodonia glandem.
Mox umbras nemorum captare, aut sicubi montis
exesi specus, hic aestus et frigora primum
vitare, et subita se a tempestate tueri
monstravit, tectum stipulis cannaque palustri ;
semina quin etiam siccis haerentia culmis
herbarum passim lecta, et servata per annum
condere poma, nucesque hiemi signare repostas,
formica monstrante, cavis dum condit in antris,
ipsa dies, multusque labor docuere colendo
naturam in melius formare et pervigil usus.
Ecce autem e mediis terrae fornacibus ignis,
(sive ille excussus caelo pugnantibus Euris,
seu silicis venis manus extudit) arida circum
corripuit fomenta, levique impulsus ab aura
succensos ramos flamma crepitante cremavit,
et lux frondosa nemorum diffulxit in umbra.
Extimuit primo flammas ignobile vulgus.
Post, ubi subsedere ignes et fulgidus ardor,
cognitus et tandem divini muneris usus ;
excipitur dextra fumanti stipite carbo
inferturque focis, tenebras et frigora noctis
qui foveant, calidisque assent et viscera pruinis.
Paulatim quoque diversos idem ignis in usus
transfertur, donec liquidum explorare metallum
cogitur, atque novis ferrum exspumare caminis.
Hinc marrae curvusque bidens et vomer aduncus,
quis terram vertere atque edomuere colendo ;
hinc falces curvae atque aerata fronte secures,
robora quis tiliaeque leves et fraxinus ingens
excisae primas domibus fecere columnas,
et statuere nigris angusta mapalia tectis.
Ex illo coetusque hominum atque frequentia coepit.
Urbibus hinc positis statuunt connubia et aequas

1164 describunt leges et diis sua templa dicarunt ;
1165 Mille artes rerumque dehinc commenta bonarum
1166 crevere, et laudum accessit generosa cupido,
1167 sulcatum mare navigiis et sidera caelo
1168 quaesita, expressumque cavis e montibus aurum ;
1169 tum rerum causae inventae, tum copia fandi
1170 extulit os movitque foro popularia bella,
1171 tum canere heroum laudes et fortia facta
1172 Pierides coepere, aeternumque addere carmen
1173 laudibus, aeternamque in secula condere famam.

# LIBER II

U_2 v.1 Nunc, age, sideribus quae sit natura movendis,
2 nate, hauri, caelique situm patre sub duce nosce,
3 et quis cuique locus ; neque enim pars ista docenti
4 ignota est, nec Musa novum instaurare laborem
5 fessa negat. Da thura, puer, tumulumque parentis
6 sparge rosa. Vos Minciadae, vos o mihi, manes,
7 este boni, fluat ut liquidis e fontibus unda
8 grataque vicinis spiret de vallibus aura.
9 Principio caelum ac caeli pars extima circum
10 sponte sua vehitur, primoque oriente profecta
11 Oceani Hesperios amnes solemque cadentem
12 tendit agens. Hinc praecipiti vertigine mersa
13 Eoos rursum Nabathaeaque regna revisit ;
14 quam contra obliquo surgunt pugnantia nisu
15 astra deum, variisque agitant sub legibus orbem.
16 Ac licet ingenti retrorsum agitata ferantur
17 turbine et adverso trudantur victa repulsu,
18 non oblita sui tamen obliquantia tendunt
19 adversum, tandemque rotis victricibus acta
20 contingunt propriam certo post tempore metam.
21 Nonne vides lunam, ut quarto sese extulit ortu,
22 Oceano properare ? Dehinc, ubi septima caelum
23 lustrarit, vadentem alti per culmina mundi,
24 donec ab Eoo victrix effulxit Olympo
25 plena animis, plena et radiis, atque aemula solis ?
26 Nec vero errantumque acies et sparsa deorum
27 agmina constanti peragunt sua munera cursu ;
28 sed nunc promotis incedunt gressibus, et nunc
29 versa pedem referunt, modo declinantia in Austrum,
30 et modo hyperboream cursu surgentia in Arcton.
31 In medio sol ipse deos moderatur et aequis
32 passibus incedens fluitantia tempora pensat,
33 disponitque vices rerum nectitque futura.
34 Haec plaga circuitusque ingens flexusque deorum
35 bissenas patet in partis, ac tramite lato
36 obliquat sese in Libyen, unde horrida bruma
37 adventat ; secat hinc medium curvatus Olympum,
38 qua de parte novum spirat ver ; inde volutus

in Boream, unde aestas flaventia demetit arva,
convertit rursum in medium sinuatus Olympum,
autunnus paribus qua tempora dividit horis ;
hinc iterum in Libyae sitientis flectit arenas.
At hunc obliquis circumdare flexibus orbem
jusserat ille, hominum divumque aeterna potestas,
quo variae rerum species, quo tempora rebus
certa forent, obstringat hiems, ver stricta relaxet,
concoquat autumnus quod et ante coegerat aestas.
Quin et bissenis passim variata figuris
signa vehit, pictoque micat Zona aurea textu,
zona Jovis monumentum ingens. Haec munera quondam
Uraniae pater ipse dedit, quo tempore leges
ponebat superis arcanaque jura ferebat ;
tum natam dictis ac munera laudibus ornat,
multa docens : splendent latis nova cingula bullis
fulva auro, nitida argento ac radiantia gemmis.
Illa patris monitis et tanto munere laeta
incedit caelo ostentans memorabile donum.
Ecce videt fortunam una atque urgentia fata
per varias errare domos, nullumque tenere
certa locum, spernique patrem ac mandata Tonantis ;
illicet explicuit zonam atque innexuit arte,
Fataque Fortunamque et nodo inclusit aheno.
Inde manent infixa locis, quae Balteus ambit
signifer, et stabili custodit fibula nexu.
Primus ab aequali surgit Nepheleius ortu
ostentatque auratum Aries de corpore villum.
Ingenti late tergo atque ingentibus armis,
in pedibusque micant ingens, micat igneus ore
fulgor, et ardenti meditatur proelia fronte
bellator quadrupes ; stant fulvo armata metallo
cornua, et Hellaeae apparent vestigia dextrae.
Vectabat Phryxumque una Phryxique sororem
insignisque auro et villis maria alta secabat ;
aurea per fluctus splendebat lana tumentis
caerulaque aurato rutilabant aequora cirro,
radebant niveas undosa volumina plantas.
Illa timens udo plantas subducit ab aestu,
aura leves, levis ipsa, sinus implebat, at illi
pectora candentes nudant exerta papillas.
Dumque Aries sese attollit, dum subjicit undis,
nunc mutat varios infelix ore colores,
nunc effusa comas : "Miserae succurrite, clamat,
Nereides, si qua est pietas, si numina possunt
vestra aliquid, cohibete undas et porgite dextram".
Clamore excepere deae. Tum candida Drymo
et faciem miserata et primos virginis annos,
labentique manum insinuans comitatur euntem,
ac placido sermone levat. Mox caerula Tyro,
flavaque Laodice, Panopeaque, Cymothoeque,
et Thisbe, et niveo conspecta Peloris amictu,
puniceoque sinu Xanto, exertisque papillis
Nisaee, longaque coma spectabilis Atte,
Atteque, Opisque, Orithyiaque, Thespiaque,
et niveis Galatea genis, Arethusa lacertis,

saltantes circumsistunt et cantibus auras
permulcent. At blanda Hyale non lumina torquet
a puero, Phryxique oculis immobilis haeret,
pertrectatque sinum, et pietatis imagine jungit
oscula, marmoreaque onerat cervice lacertos ;
uritur, et mediis fervet malesana sub undis.
His ducibus spumosa aries freta celsus obibat
corniger ipse auro et gemino vectore superbus.
At mater laeta e caelo prospectat euntes,
quam tamen et monstra oceani et fraus insita ponto
sollicitant natis metuentem ; e nube propinqua
auxilium parat et casus timet usque futuros.
Ecce ingens undante salo late obvia celsum
phoca caput, totaque exstans cervice per aurasque
huc illuc oculos vertens attollit, et ipsum
ore vomens pelagus fluctus ad sidera jactat.
Spumescunt aurae pontusque dehiscere visus,
et lux nimbosa undarum nigrescit in umbra.
Obstupuit subito monstro atque horrentibus undis
assuetus terrae quadrupes, pavitansque tremensque
obvertit sese in gyrum, mox rursus in altum
provehitur ; rursum ante oculos sese objicit atrox
belua et immani fera guttura pandit hiatu.
Ille iterum in gyrum insinuans et ab aequore tractus
affligit scopulo latus, atque exterrita virgo
excutitur dorso exanimis, quam sedula nymphe
sullevat et dictis pavitantem hortatur. Ibi amens
apprendit cornu dextra tenuitque prehensum ;
quoque aestus magis ingeminat, tanto arctius illi
nititur et geminis innodat cornua palmis.
Ter fluctus cauti illisit, ter cornibus haerens
substitit, ac ter nisa manu se a caute recepit ;
viribus hinc defecta suis excussaque cornu
labitur, et surdas fluitans deplorat ad undas.
Nec revocata potest miserae dare brachia mater,
exceptamque sinu Drymo ac solata dolentem
in vitreas defert sedes, ubi molliter udae
Nereides ducunt choreas, pars fila remissis
deducunt digitis, tenui pars pectine telas
aut picturatas variat subtegmine vestes
Oceano magno et cyaneo Euxino.
Hanc post vitigenae spatiantem litore Naxi
carpentem varios operosa in serta colores
Nereus implevit, quo partu Paeona magnum
progenuit, latas Ister cui subdidit urbes ;
quin formae ob meritum regno donavit aquarum,
unde hodie rapidus nomen tenet Hellespontus,
non ingrata quidem miserae solatia matri.
At postquam aurato ditatum est vellere Colchos,
quadrupedemque suum caelo Mars intulit alto,
ac superi et formam et monumenta ingentia facti
mirantur, sed et ante alios miratur Apollo
tergaque cervicemque et pectora lata pedesque
aurigeros : stupet imprimis ingentia fronti
cornua, quis pueros pelago indignante tulisset ;
tum placido Jovis assensu fulgentibus astris

illustrat. Micuit stellato vellere dorsum
lanigerum, micuere aures cervixque pedesque
unguifidi, ac rutilo scintillat lumine cauda
venterque et caput igniferis sub cornibus ardens ;
quaque manus tenerae cornu strinxere puellae,
hac geminum accendit candenti lampade sidus,
atque annis operire viam per secula jussit.
Ipse novis laetus stellis et vellere dives
hoc solium sibi constituit, quo rite quotannis,
dum rerum generi atque hominum dum consulit, orbi
et dicit leges naturae et jura recludit.
Haec sedes, haec est generosi regia Martis.
Hinc pugnator equos armatque in proelia dextram
ipse Aries, quamquam stabulis assuetus et herbae,
sectaturque vagi Pastoris in agmine signum ;
non minus ingentis animos ac regia jussa
prae se fert, campoque audax insultat aperto
bellator, cornuque ferox defertur in hostem,
duraque sub molli meditatur proelia lana.
Sic Mavors jubet armipotens princepsque deum sol.
Hinc quibus effulxit nascentibus aureus Helles
corniger et primo radiarunt vellera caelo,
hos animi vigor insignes, hos libera corda
audaces reddunt effando et recta monentes.
Imperiosa viris majestas. Hi sua plebi
describunt jura et populo dominantur et urbi,
quique ipsi norit parere et ducere, et alta
cervice excussisse jugum, atque odisse nocentes.
Inconstans vitae tenor et mutabile pectus,
elatum tamen, at cupidum rectique probique,
quod facile ingentes versent iraeque minaeque.
Ergo et contemplare oculis, metitor et alto
vadentis caelo dominos signique locique,
et soli et cui terna venit per signa potestas.
Hi tibi naturae leges praescriptaque signi
ostendent, quodque ingenium et vis insita cordi,
quidque Aries oriente loco praestetque negetque.
Te caeli rimantem oras et fata domorum
natalemque locum signi surgentis et ortus
luciferos, licet usque deos, licet usque deorum
consilia explorare, situm ingeniumque locorum,
unde fluant et opes, unde auxiliumque favorve,
unde et honos venit aut rursum indignatio et irae
damnaque et instantes insigni clade ruinae ;
portendant quae laeta domus, quae triste minentur,
quae teneat loca sorte, quibus dominetur in oris
regnator, quae vis aliorum ex ordine regum ;
quo rerum pateat status et sors ipsa futuri,
et quid quodque ferat signumve, locusve, deusve.
Hoc surgente, aliquis veniens ad munera vitae
ingentis nunc divitias cumulabit, opumque
affluet undanti rivo ; nunc rursus in arctam
pauperiem conjectus inopsque arentibus undis
vix sedare sitim poterit : nam sideris hujus
est mutare vices, alternaque fata referre.
Ipse vides nunc lanifico pendentia villo

terga ovis ac ditem felici vellere lanam,
nunc tonsos errare greges ac tergore nudo
spicula per silvas fugitare sequentis asili.
At mihi nascenti sub eodem sidere mater
non fratres fecunda dedit, nec germine ab uno
passa est germanos natura adolescere ramos ;
sed fandi libertatem arbitriumque loquendi
addidit et dictis vires et pondera rebus.
O quotiens sterilemque fidem ingratosque labores
conqueror, et quod nulla meis bene gratia factis
respondet, sine fruge operam ac sine munere finem.
Quod si forte novas veniens quis lucis in auras
lanigerum medio fulgentem in culmine caeli
aspiciat, non illi aditus, non limina regum
claudentur, primosque inter proceresque patresque
diversans, hinc divitias, hinc commoda vitae,
hinc fasces notos atque assectetur honores.
Non illum tamen aut animi generosa cupido,
aut recti mens certa sibi tutabitur, ut non
pauperiem tenuisque lares suspiret, et idem
laetetur dites mutata sorte penatis,
alternetque vices rursum ac referatur eodem.
At si praecipitem occasu atque Atlantis in undis
mergentem aspiciat, jam tandem cana senectus
felicem agnoscet placidaque in sede quietum,
de thalamo tamen aut thalami consorte querentem.
Interea magnis jactatum saepe periclis
externas urbes peregrinaque tecta petentem
desertis errare locis fata aspra jubebunt.
Ast ubi sese imo acclinans torquebit Olympo,
errores passim varios ac tristia flenti
fata feret, caraeque obitum consortis, acerbumque
aut nati funus languenti aut corpore morbos.
Quin in amicitias magnorum aulasque virorum
insinuans nunc tollit humo statuitque sedentem
in solio, nunc rursus humi prosternit, et inde
evehit ad solitos sullato vertice honores,
laetitiam et maestis requiemque laboribus affert.
Haec Aries, haec lanificum denuntiat astrum.
Hoc olim dominante, novi sub origine mundi,
et felix aetas et libera secla fuere.
Non hominum certae sedes, non ulla deorum
formido. Natura illis tectumque laremque
praebebat. Qua se oceano nox acta ferebat,
carpebant fessi somnos et membra locabant,
aut antro tecti, aut nemorum frondentibus umbris.
At postquam sol nigrantis discusserat umbras,
mirati lucem horriferam et vaga lumina Phoebi,
illum oculis, illum ore obeunt. Laetum inde canebant
Paeana, auricomumque deum clamore ferebant.
Errantis impune greges per pascua laeta
cernere erat, commune solum, communia tellus
ignavis alimenta dabat, tum pocula rivi
et passim vivis lapsi de fontibus amnes ;
non ullae rerum curae manuumve labores,
omnibus una quies et amor simul omnibus idem,

communesque tori et dulces circum ubera nati ;
per saltus et opaca loca umbrososque recessus
ludebant mixtae pueris impune puellae ;
ocia mulcebant venerem atque ignavia deses.
Progenies sic aucta hominum, atque increbruit orbis
gentibus, ac mutare habitum natura coacta est.
Insurgebat enim tergo properantibus astris
Taurus, et ingenti aversum se mole ferebat,
mugitu horrificans caelum et capite obvia quassans
ipse atrox ; tamen assuetus tolerare magistrum
et perferre jugum atque oneri insudare trahendo.
Hoc igitur regnante, viri didicere colendo
dura pati, versare solum ac proscindere rastris
aequora, et assiduo manuumque operumque labore
quaerere praesidium vitae atque agrestibus armis.
Quod vero Tauri meritum, quae causa tonantem
moverit, ut caelo impositum stellisque micantem
praeficeret veris foribus, Zephyrosque cientem
jusserit aetherio renovare elementa vigore,
quo natura novos passim suspiret amores,
vos, o vos, Charites, juvet immemorata referre,
et mecum occultas signorum expromere causas.
Squalebat manuum attritu defecta juventus,
urgebat Labor ac jussu Jovis acris Egestas
acta Erebo, miserique senes fessaeque puellae
non ultra tolerare famem aut subsistere marris,
aut poterant miserae sufferre incommoda vitae.
Inque dies magis atque magis miseranda videri
sors hominum, quantumque Labor cumulabat, eo illa
acrius instabat ; derant quoque plura paratis.
Sed non ulterius passa est Industria questus
humanos. Ea praesidium commenta per artem
succurrit populis, et iniquo ex hoste recepit.
Hanc olim genitam Labor atque immitis Egestas
expulerant tecto infantem. Non territa virgo
per campos errare hominumque videre labores,
metiri casus inopes, dum singula lustrat
perquiritque oculis multumque in corde volutat,
advertit niveum procul a genitrice juvencum
errantem, cui cornigeris in frontibus aurum
fulgebat, stellatum aurum, cui sidera tergo
scintillant, jam tum caelo qui dignus haberi
posset, ut aetherios olim venturus ad axes.
Huic dea nunc viridis ramos et gramina lecta
porrigit invitatque manu, nunc tempora blandis
pertrectat digitis atque ora rigentia mulcet,
nunc frontem variis redimitam floribus ornat,
ac picturatis intexens cornua sertis
mollibus hirsutas verbis blanditur ad aures.
Ille autem tenerae correptus amore puellae
nunc decumbit humi vertitque ad munera frontem
demissa cervice, alte et suspiria ducens
mugit, et ipse suas solatur murmure curas ;
nunc haeret pendetque oculis ludentis, et ipso
lascivit gressu exsiliens gestitque per herbas.
Insequitur simul et niveis per gramina plantis

insultat virgo et gressum mox sistit : at ille
insilit et pedibus cervicem innectere tentat.
Nympha procum aspernata fugitque et lenta moratur
et nudata genu risuque invitat amantem.
Ille autem, blando componens murmura questu,
affingit teneros motus et fronte coruscat.
Hos inter lusus virgo innodavit amantem
cornibus et duplici advolvit funambula nexu :
nympha trahit, sequiturque volens et laetus amator,
ac nigrum sponte admirans defertur in antrum.
Hunc postquam sociumque operum assuetumque labori
et domita cervice jugum ac tolerare magistrum
agnovit dea, tum, fessos miserata parentes
ac mortale genus, tauro donavit, et artem
jungendique bovis docet ac telluris arandae,
et quis cuique loco cultus, quaeque hora serendi ;
vomeris haec curvique usum monstravit aratri,
et versare solum et currus agitare sonantes.
Munere quo genus acre hominum squalore levatum
exercet rura, et terrae dat jura subactae
auxilio bovis, atque usum mox vertit in artem.
Forte hominum insuetas artis studiumque novandae
telluris junctosque boves flaventiaque arva
Jupiter e summi admirans spectabat Olympi
culmine et humanos haec ipsa ad munera sensus :
astabat Venus, astabat Latonia virgo,
utraque in astrigerum conversae lumina taurum.
Tum Venus : "Et meritis stellato et tergore dignum
haud, pater, ipse novo caeli dignaris honore ? "
His Dictynna preces, precibus simul oscula jungit,
quae natam deceant et sint optata parenti.
Arrisit pater et caelo plaudente locavit.
Ut caelo stetit, attonitus novitate locorum
huc illuc oculos vertit, sociumque requirens
assuetorum operum et tanquam subiturus aratrum
vertit ad Argolicos horrentia cornua fratres,
ac terrae memor et silvas et pascua nota
suspirat. Tum blanda Venus, dum Delia virgo
certatim objiciunt cytisos casiamque recentem,
quaeque et luciferi pascuntur gramina Solis
quadrupedes. Ille ambrosiae per pabula succum
sensit et aetherium stillantia gramina rorem.
Mox, qua lunatae stant horrida cornua fronti
et qua demisso pendent palearia mento
atque ubi durato proscissa est ungula cornu,
quaque genu quaque et cervix et pectus et armi
spinaque et ingenti curvant sese ilia tractu,
accendit Cytherea ignes atque innuba Phoebe,
effulxitque novis Taurus spectabilis astris.
Regalis addit stellas ac regia jura
Jupiter, et raro Taurum insignivit honore
Parcarum memor. Hoc etenim jactante per undas
ediderant fore, uti Tyrio de litore vectam
Europam Idaeas victor deferret ad urbes.
Mugivit deus in tauro, freta navit adulter,
quis credat ? Stetit in stabulis ad pabula vinctus :

tantum amor et tenerae potuit nova forma puellae.
Nunc, age, naturam, Tauro quam Delia virgo
indiderit, quam caeruleo de gurgite creta,
expediam tibi, nate, atque haec quoque percipe dicta,
nate, patris, nate, et canae spes blanda senectae.
Principio Cytherea domum dulcisque recessus,
at Phoebe solium soliique insigne superbum
in Tauro posuere. Illic nam regia jura
exercent, sociaque tenent ditione tribunal ;
hinc amor, hinc studium formae citharaeque sonantis,
hinc choreae cantusque placent pexusque capillus
excultique sinus et multum lauta supellex
advectusque aliunde odor Assyriique liquores
munditiaeque jocique, et quicquid blanda voluptas
suadet, et ornatis rorantia pocula mensis.
Hinc etiam hortorum cultus et cura serendae
arboris, hinc deflexa comis in mille figuras
myrteta, inque novam crescentia citria formam,
cultaque per varias genialis amaracus artes.
Nec vero exoriens Taurus non ipse labores
nascenti accumulat, primoque in tempore partas
perdit opes ; sed mox et mollia tempora et ipsos
successus rerum amplificat, semperque jacentem
sternit humi, si quis contra insurrexerit hostem.
Idem divitias atque ornamenta secundae
fortunae dabit, e medio si culmine caeli
nascentem aspiciat. Non illi munera regum
deficient, non e sacris compendia templis,
publicave assuetae commissa negocia curae.
Non tamen intacti thalami, non florida conjux
continget, sed anus, sed cui servilia vincla
aut occultus amans et non sine labe juventa,
tristior ut festas eat ipse Hymenaeus ad aras.
Taurus ab occasu pronoque a cardine mundi
et partas labefactat opes et rursum easdem
instaurat, patrioque haeredem sistit in aere,
pervincitque inimicum odium, ac male conterit hostem.
Quin etiam rapidos flammarum exsuscitat aestus
ex oculis, parat atque oculis immite venenum
in dulcem Veneris rorem atque in pocula amantum.
Ast imo positus caelo atque in parte profunda
aetheris, unde novum sese convertit ad ortum,
plurima felici promittit sidere nato.
Ille inter proceres atque intra limina regum
versatus, longaque fide spectatus in aula
magnarum curas rerum ac molimina magna
suscipiet ; credentur opes, credetur et amplae
summa domus, claris et famam extendet in actis.
Tantus inest Tauro vigor et vis cornibus aureis.
Hunc post Tyndaridae concordia pectora fratres
virtute illati caelo atque insignibus actis,
quos pater aeterno meritos donavit honore.
At tu, cui secreta poli cuique abdita rerum,
Uranie, sunt nota, ad quas numerosa vetustas
vix penetrat, pande antiqui memorabile facti
et decus et pretium ; nam te quoque sideris hujus

tangit honos, tangunt cari monumenta mariti,
conjugis et meritis aeternae et consule famae.
Viderat e summa caeli Cyllenius arce
paulatim coiisse homines et condere tecta,
partiri medios signato limine campos,
et quantum primis sollers Industria coeptis
addiderat. Placuit mutato corpore terras
visere, et agrestis hominum cognoscere mores ;
ocior ac Zephyris caelo delabitur alto,
et stetit in duplices aptata veste gemellos
discat ut hic, doceat facundo pectore ut alter.
Ipse ferens, ille accipiens praecepta magistri,
traxit in exemplum mortalia pectora, donec
legitimi accessit studium rectique bonique,
vivendique viam ratio ac doctrina paravit.
Hinc artes crevere bonae, succrevit et usus
laudatorum operum. Fando commercia primum
inventa ; hinc pretium duplicandi et cura peculi,
creveruntque et opes et opum comes apta supellex,
atque his excoluit studiis Cyllenius orbem.
Ipse etiam numeros et rerum pondera et usum
mensurae docuit, fandi quoque tradidit artem,
atque animi concepta novis depromere signis
instituit scriptis et commendare tabellis.
Moribus his exculta hominum praecordia duros
mutarunt sensus, et ab agri munere ad artis
Ingenium vertere novas. Tum magnus haberi
Mercurius, tum caelicolae mortalia corda
assensu laudare uno, stirpemque deorum
esse hominem genus et caelo deducere ab ipso,
tantum animo, tantum ingenio ac ratione valerent.
Imprimis pater omnipotens mortalibus orsis
obstupuit. Videt ingentis assurgere turres,
aequari quoque tecta polo, videt aurea templa,
ornatusque deum varios, videt oppida et arces
collibus impositas. Tum sic effatus, ut omnes
caelicolae annuerent, caelo testanda sereno
Cylleni monumenta : illum tot adire labores,
tot mandata deum, tamen et voluisse, relicto
aethere, per terras, suscepta parte magistri,
exuere agrestis hominum de pectore mores
humanumque genus cultas efferre per artis,
unde et honos superis et victima creverit aris.
Tum pater in geminas distincto sidere formas
signavit caelo, facinus memorabile et astris
indidit aeternis, celsaque in parte locavit.
His capita effulgent stellis humerique manusque,
quaque lacertoso curvantur brachia nodo
genuaque summotique pedes ; sed parte sinistra
irradiat, quo vix caelo splendentius, astrum,
unde per obliquum sol jam declinat Olympum.
Hic sedem patriamque domum dulcisque penates
ipse sibi statuit volucer Cyllenius, hic se
exercet, proprias et signo accommodat artis.
Nam rerum occultas causas arcanaque sacra
rimantur, verbisque modos et carmina nervis

adjungunt, pretio aut capti fora multa frequentant,
aut veterum monumenta docent et scripta virorum,
aut operam impendunt linguis interprete cura,
et decus, et quicquid monstrat sapientia, norunt
caelestes Gemini concordi foedere juncti.
Unde sub exortum primaque in parte locati
nonnullos nati ineunte aetate labores
portendunt ; tamen haud illis pia cura parentum
defuerit, seu blandus amor. Caelestibus inde
artibus imbutos decorant, junguntque fideli
principibus studio, et dominis placuisse laborant.
At media de parte poli atque e culmine summo
promittunt faciles olim nascentibus annos.
Hos fandi decus insignes, hos Delphica laurus
illustres reddit populis, his infula sacris
assurgit veneranda comis capitique tiaras.
Hinc sibi divitias, hinc ornamenta benignae
fortunae accumulant, auro hinc laquearia fulgent.
Hos merces peregrina, aut testamenta beatos,
praeclaraeve artes, aut virtus rara, deumve
Religio efficiunt ; nam Virginis astra per ortum
sufficiunt Geminis vires et robora praestant.
At cum praecipitem occasum cavaque antra subibunt
Oceani, dias veniunt qui lucis in auras,
hi perferre malum et duros tolerare labores
damnaque et adversos constanti pectore casus
assuescent, celare odium ac simulare parati.
Non his aut studium recti, aut sapientia derit,
ingeniive favor, docti seu pectoris artes ;
successus sed opum seri primaque senecta
suscipient tardos cara cum prole nepotes.
Dant imo positi morbosque, aegrumque laborem,
aut vitium occultum, aut secreta in parte dolores,
eripiunt et opes partas censumque paternum ;
post tamen uberiore manu cum fenore magno
ingeminant et opes et lucra ignota reponunt,
suppeditent unde et multis alimenta ministris.
Hos felix fatoque tamen cogente senectus,
ah, procul a patria externis tumulabit in oris.
Hac etiam de parte imoque e cardine surgens
si testudineus moveat sua brachia Cancer
humidaque impressis figat vestigia plantis,
plurima divino promittit munere natis.
Illis divitiae ingentes et copia rerum
undabit variarum, et latis praedia campis
sufficient laetam cererem bacchumque fluentem ;
illis nobilitas et claris infula vittis
conferet insignis titulos, magnoque favore
decernit statuas faustisque insignibus ornat,
annuerit placido facilis si Jupiter ore ;
sed juvat intonsus crinis promissaque barba
atque inter titulos sordenti stamine vestis.
Quin etiam insidias cognati et sanguinis iram
nuntiat adversosque inimica mente propinquos,
quos et ab occasu graviori concitat ira.
Tum vero felix multa cum laude senectus

continget, tunc clarus honor praestantibus actis,
cum medio posuit caelo vestigia, et aequor
despiciens bibulis tantumdem distat arenis
in mare, qua Ganges et qua Tagus aureus intrat.
Ac veluti lento sensim per litora passu
it Cancer tardusque gravi sub mole laborat,
paulatim sic divitias, sic lentus honores
accumulat, donec gravidos complerit acervos,
vix tamen ut gemino fecundet viscera partu.
Exoriens placidos mores animique quietum
ingenium et sollers mentis promittit acumen
nascenti, tamen ut facile indignatio et irae
exagitent, facile iratos componat ut aestus
mollibus officiis ac miti pectore natus.
Ipse acer vitiorum ultor, cum fronte severa
jurgator scelerum, atque ad publica munera versus
praesidia inde domus et victus quaeret honestos.
Et tamen indigna decumbet morte peremptus,
aut gravibus capitur morbis, aut lumine maesto
spectabit raptos non uno funere fratres.
Hoc astro post Tyndaridas subeunte, per aequor
mortales fecere viam, primique reperta
vix ausi tentare cava vada fluminis alno.
Mox usus, post et praeceps audacia textis
in mare navigiis remo descendit adacto,
paulatim et pelago se credidit, inde per altum
ignotos portus peregrinaque regna petivit.
Hinc merces et longinquis commercia terris,
hinc vesper novit quicquid celarat Eous.
Eridano Nilus subvenit et Abdua Nilo,
ut quae deficerent, summiserit omnia Nereus
velifer, et fulvum ratibus devexerit aurum
Tritonum chorus, ac versis per marmora tonsis
divitiae narint hominum terraeque marisque
Canceris imperio atque undae dominantibus astris.
Vos, o Nereides decus aequoris, et mea saepe
serta, meos flores ad litora nota petistis
et nituere comis argentea lilia vestris,
Aenario quae rure legens, quae colle beato
Parthenopes mistaque rosa blandisque hyacinthis
ipse dedi castis multo cum thure sacellis,
et sparsi largo supplex crateras Iaccho,
nec mea vicinae siluerunt carmina rupes ;
vos, precor, o pelagi placidissima numina, causas
tentati maris et primos expromite motus
irarum Jovis et raptum inter sidera Cancrum.
Assuerant Dryades vulgo, assuevere Napaeae,
silvarum nemorumque umbra rivisque relictis,
impune optatos per litora ducere somnos ;
Hic choreas agitare, hic grato mista susurro
inter sese aperire animi secreta latentis,
Hic lusus, hic delicias geniumque colebant,
et nulla resides ducebant ocia cura.
Advertit pastor liquidi maris et modo summis
e scopulis, modo se strata ostentabat ab alga,
nunc summo labens innabat litore et udis

caerula per liquidum findebat marmora palmis,
interdumque alto exsiliens clamore vocabat
armentum et toto cogebat ab aequore monstra,
ostentans pecus indomitum et stabula abdita Nerei.
Ipse ingens baculo innixus cum crine madenti
stillabat madidos per membra rigentia fluctus,
versabatque dolos animo, et suspiria ducens
uritur, ac tacitis succendit pectora flammis,
assiduusque oculos moerensque ad litora torquet.
O quotiens viridi crinem circumdatus alga
tentavit faciles aditus per carmina. At illae
longa per occultos petierunt avia calles,
et sibi consuluere fuga. Magis incitus heros
convertit solitas fecundum pectus ad artes ;
et cum se in varias mutasset saepe figuras
ac nulla posset Dryadum ratione potiri,
adnavit terrae Cancri sub imagine tectus
litoribus celer obrepens. Vagus inde per herbam
miscetur nymphis, violas ut forte legebant
certatim et passis nectebant serta capillis,
candida purpureo variantes colla hyacintho.
Ut Dryades videre ferum mansuescere in herba,
non ausae tractare, tamen gratantur eunti,
et plaudunt socio curvanti brachia motu
molliaque adductis tondenti gramina malis.
Ille, ut se gratum agnovit placidasque Napaeas
ridere intonsi carpentem pascua campi
octipedem maris, in salsos se retulit aestus
molliter obliquoque gradu cava brachia flectit ;
ac, ne qua rediens non ora oculosque jocantum
spectet, et, ut placido risu ac sermone fruatur,
versa retro tenuit curvo vestigia gressu
intrat et in pontum mutato corpore Proteus.
Artibus his terrae obversans nec cognitus ulli,
ut quam secreto capientem litore somnos,
aut uda solum spatiantem vidit arena,
in propriam versus repetito corpore formam
comprimit optato et fruitur malesanus amore.
Sic matrem nitidi Almonis septemque sorores
Ufentis, sic Umbronis tria pignora centumque
Eridani, totidem et Nili neptesque Timavi
tergeminas, neptem et Xanthi neptemque fefellit
Volturni, qua non oculis, non ulla papillis
gratior, aut posito tantum placitura capillo.
Quin etiam demens Phoeben tentavit, ut illa
Eurotae nitidos curabat in amne capillos ;
et vim passa foret monstri, ni strenua vultus
in lunam conversa foret, ni cornua torvae
aptasset fronti et nube oblituisset opaca,
atque illum jam complexus, jam furta parantem
suspendit geminis pavitantem cornibus et mox
sublatum caelo longe intulit. Ipse nigrantis
jactatus supra nubes, implorat amicum
Nerea ; sed surdis obsistunt vocibus aurae.
Hinc praeceps iterum atque iterum per inane rotatur,
mox pelago absorptus tantum ferit ima profundi,

quantum nubiferas fuerat sullatus ad auras ;
dissiliunt undae et spumosum incanduit aequor
qua cecidit, tumuitque intorto gurgite vortex
caeruleus, nigramque alte vomit aestus arenam.
At virgo, celeri ad superos regressa volatu,
sicut erat laniata comas discissaque pallam
implevit caelum gemitu, quo celsa Tonantis
intonuit domus et foribus se pandit apertis.
Ut medio sedere foro et res cognita divis,
indignum clamant facinus : monstra aequoris ausa
Dianam tentare ? Movet reverentia divae
astantis, movet ipse locus violentaque Protei
in venerem rabies, et quod Neptunia regna
non ultra toleranda, illum nec sorte secunda
contentum terris inhiare et poscere Olympum.
Tum pater omnipotens solio ter surgit ab alto,
ter tacet iratusque novem de parte sinistra
caerula fulminibus percussit regna trisulcis.
Intremuit Nereus ; atterrita numina ponti
Oceano oblituere imo ac timuere profundo,
ne cava sulfureis arderent aequora flammis.
At decimo cancrum octipedem per litora curva
errantem, sed adhuc meditantem furta per herbas,
ac natam flavi captantem ad saxa Lycormae
exanimat : dura crepuerunt fragmina testa
huc illuc disjecta, et fumo indensuit aer.
Quae collecta pater caelo intulit, ac monumentum
esse dedit scelerum maris infelici et ausi,
ac summo posuit caelo testantia crimen.
Ore ignes pedibusque ignes et pectore et ipso
fragmine succendit, sed hebenti lumine quosdam,
non aliter, quam quos pudeat commissa fateri.
Quin etiam ignavos testae caelavit asellos
et statuit praesepe et nube infecit opaca,
infamemque notam dorso signavit inusto.
Utque recens facinus memori per secula poena
notescat maneantque audacis praemia culpae
perpetuis signata notis, verrenda carinis
permisit maria et remis freta salsa cienda,
imperiumque viris ponti dedit edomitoque
aequore per fluctus sinuoso currere velo
Neptunum et tonsis laniare et scindere rostris,
edictumque ingens tabula signavit eburna,
quod notum populis demissus ab aethere fecit
prognatus Maia et terrae tenuere verentes.
Tum probra objecit monstro mutumque salaxque
et natum turbis variosque agitare tumultus,
incola non constans pelagi, non advena terrae
incertus, sed aquae rerum terraeque vorator
assiduus, gaudens longarum errore viarum.
Auratum posthinc solium testudine summa
affixit geminis subnixum utrimque columnis ;
atque hic bissenis aevo manantibus annis
dat jura et spoliis gaudens exsultat opimis,
solennisque agitat ludos et vina coronat.
At Phoebus, patris edicto permotus et ira

germanae et lacrimis, et quod maris aequora monstrum
nutrirant, sensu latices infecit amaro,
decrevitque super Cancri cava terga quotannis
quadrijuges agitare suos, et inurere flammis
infelix testum et siccata caloribus ora ;
ipsa autem pelago poenas has dixit, ut omni
tempore per numeros alterno fluctuet aestu,
nec mora, nec requies sit certa fluentibus undis.
Quin dorso super et fallacis corpore signi
admovit bijuges atque ad praesepia junxit,
et stabulum fessis statuit de more, sibique
atria perpetuum posuit testantia factum.
Quae frater justa assistens, dum tecta sororis
continuare parat, tectis discrimine nullo,
sedulus in valido posuit sua signa Leone,
et struxit nitidis ornata palatia gemmis
consilio patris. Hic thalamos, hic atria centum,
hic tercentenis inclusit limina portis.
Argento radiant postes, adamante columnae
stant circum et fulvum splendet laquearibus aurum.
Qui tantas habeant sedes, quae numina portis
assideant, unde et Libycus leo venit ad astra,
dicite, Pierides ; nam vos et carmina Phoebi
excipitis, vos et choreas agitatis in aula,
et secreta dei solae novistis et artes.
Fata domum ac secreta loci penetralia servant,
et rerum series aevique senilis imago,
temporaque et longis aetas incana capillis,
imperiumque et opes, et regno accommoda virtus,
et pia religio cinctis ad tempora vittis.
Ante fores ipsisque in postibus aurea servat
Aurora illustrisque dies et mobilis annus,
Horaque non certis nectens modo facta futuris,
tum species rerum ac generum numerosa propago
et color et claro radians lux aurea curru,
nec non ante nigris fugiens nox atra quadrigis.
Ipse autem leo sidereas perlatus ad arcis,
non ut fama refert, magno quod ab Hercule victus
foedarit calido sitientia rura cruore,
Graiaque nec fulvos tellus parit ipsa leones ;
sed Libyae crudele solum, quae victa calore
insignem Phoebo pavit generosa leonem,
admovitque aris tinxitque in sanguine cultrum,
et solata sitim misero requievit ab aestu.
Translatum caelo Paean miratur et ora
ingentisque humeros et lumina torva jubasque,
obstupuitque armis, fixitque in pectora vultum.
Ac memor armorum vates cladisque futurae
terrigenum, latos jam tum meditatur et ungues
induere et villosa albis cum dentibus ora,
Porphyrion quibus et ferratum absumpsit Ophelten.
Tum Jovis ante pedes, divorum astante corona,
constituit. Placuit superum inter signa referre
consensu magno, et nomen retinere Leonis.
Nec mora ; sidereis accensa est bellua flammis,
effulget stellis caput et micat aurea cervix

ignibus, effulget claro spina ardua dorso
iliaque incurvique pedes et cauda genuque,
praeradiatque novo pectus regale sub astro,
atque insigne decus toto se vellere fundit.
Regius hinc illi venit vigor, imperiique
cura ingens, summique loci ambitiosa cupido.
Ergo cui primae radiabit lucis in ortu,
Notus erit. Feret hic celebris praeconia famae,
Fascibus atque operam dabit, atque inhiabit honori,
quaeret opes proprio semper tamen ipse labore :
spelunca fremit in magna, dominatur in altis
montibus, Aethiopumque fremunt deserta leonem,
quaerendo tamen insudat per devia pastu.
At cui de summo nascenti fulget Olympo,
perferet ille graves forti cum corde dolores,
post tamen aut domini pergrata potentia ditem
efficit aut si qua est domino cognata potestas,
unde etiam caris alimenta ministret amicis.
Ducit ab occasu litem, iratosque propinquos
efficit, et multos adversum concitat hostes,
jurgiaque indignumque torum moresque sinistros
conjugis, et nullo thalamos dignatur honore.
Ast ima de parte dabit censumque bonasque
divitias, dabit et tabulas, scribetur et haeres,
partaque felici servat patrimonia cura.
Sole igitur dominante simul dominante Leone,
religio caput exeruit per templa, per aras.
Multi inter divos caelique in sede locati
casta sacerdotes cecinerunt scripta per orbem,
ac pietas non ficta viam affectavit Olympo.
Tunc etiam imperii crevit generosa cupido
in populis, crevit quoque justa licentia regni,
sanctaque majestas dicta est sanctusque senatus,
ac summo patiens virtus concessit honori,
nobilitasque etiam duris quaesita sub armis.
Pugnatum est, victo victor praescripsit, et acti
in praedam populi, cecidere sub ensibus urbes,
justitia et positis venit captiva sub hastis.
Otia mox et delicias, unguenta rosasque
monstravit Virgo (sunt hae nam virginis artes),
intonuitque foro eloquium, laetumque theatris
aurea pensilibus diffudit tibia carmen,
et Musae insolitos sonuere ad pulpita cantus.
Ornatus etiam accessit jam discolor usus,
percurritque auri villosum bractea textum,
et pictura novo fulxit variata decore ;
tum magicae coepere artes, studiumque futuri
crebruit, et sacris admota silentibus ora,
sidera et ipsa novo paulatim cognita sensu
in numerosque redacta suos, omnisque locorum
fortuna et certi signata potentia fati.
Quae dea per populos multum versata docebat,
fama, refer ; tibi gesta hominum, tibi facta deorum
nosse datum ; tu nam fatorum eventa per urbes
divulgans revocas in lucem obscura et, honorem
dans claris, facta extollis fingisque futura.

Ergo agedum, quibus officiis, quo munere terras
ornavit Virgo, cur caelum illata petivit
praesidio alarum et nitidis mox fulxerit astris.
Anne deum proles hominumve ? An mista propago ?
Certa parens Isaea fuit, qua nulla per orbem
doctior iratos animi componere motus ;
incertus pater, a populo sed cognitus Etheus.
Illam Mercurius docuit, quo tempore gentis
imbuerit sacris, quibus et deducere Olympo
caelicolas poteratque Erebo subducere manes.
Doctrinae pretium amplexus repetitaque lecto
gaudia. Post decimo enitens Isaetida mense
celat adulterium, commisto utroque parentum
nomine ; cumque humeris alas insignia patris
redderet, has tacita vellebat sedula dextra
docta parens, nudamque oculis non obtulit ullis.
Ergo Mercurius natae memor, artibus illam
instruit et docili componit pectora cura,
constituitque animum, et caelesti robore firmat ;
tum donat serto insignem, cui sidera circum
clara novem, totidemque micant per sidera gemmae.
Ut virgo capiti imposuit venerabile donum,
hausit divinas artis, didicitque ferendo,
quae pater impressis signaverat omnia gemmis.
Nec mora ; perque urbes et compita nota viarum
affatur populos, socialis munera vitae
praecipiens, animumque docens formare colendo
justitiam, et mites usu componere mores.
Illa etiam in templis divorum arcana monebat
munera prima hominum, et sacris jam rite peractis,
placari humanis caelestia numina donis ;
quae patriae sint jura, etiam quae jura parentum,
conjugiique fides, lecti et concordia vincla.
Vidisset domito terram proscindere tauro
agricolam, quae sint sua tempora monstrat arandi ;
errabant pecudes, pecudum docet illa magistros,
cunctaque divino praescribit munere virgo.
Donec eam silvas moderantem et saxa trahentem
venator captus forma et juvenilibus annis
invadit ferro demens, haurire paratus,
ni secum socio jungat sua membra cubili.
Extimuit virgo et levibus se sustulit alis ;
intentamque fugae sinuoso pallia limbo
implicitant. Sequitur furiata mente satelles,
et jam jam geminis apprensat syrmata palmis.
Accurrit pater, ut caelo properabat ab alto,
et natam amplexu fovet ac super aethera secum
devehit, et laeto statuit nova sidera mundo.
Illum autem minitantem oculis ac torva tuentem
ter baculo deus ipse cavum per tempus adacto
percussit : riguere artus, frigusque per imum
pectus iit, calor in ventos et vita recessit.
Mox ungues digitique solo radicibus actis
haeserunt, subiitque locum cutis horrida cortex,
in ramos abiere manus curvique lacerti,
in frondem coma, fit reliquo de corpore lignum,

in sentesque rigent sparsae per corpora setae,
nec mora, jam spinis horret rubus asper acutis.
Salve virginibus caeli decus addita, cujus
vocibus aeterni patuerunt abdita mundi ;
tu genus humanum instituis, tu munera vitae
distinguis ; salve innumeras veneranda per aras.
Sparge rosam, da thura, puer, linguisque favete,
annua dum patrio persolvit carmine vates :
sacra senex castusque ascendit templa sacerdos.
Tu vero, mihi care, oculis, age, suspice caelum,
nate, vides qua parte ingens sese exerit astrum
virginis. Haec dextra est cerealia munera libans,
et qua tam claro candescit lumine sidus
ala deae, qua se violento ex hoste recepit,
quaque sub obscuris pallescunt ignibus astra,
illa quidem extremae sinuosa volumina pallae.
Non humeros pater ipse (ignes hos aspice, nate),
non caput ingressusque pedum, non brachia liquit
intestata : micant caelo spectanda sereno
sidera et ardenti scintillant lumina flamma,
quae tibi nascenti cunabula prima dedere.
Haec quamquam duros ineunte aetate labores
portendunt, tamen, in melius conversa, beatae
cana senectutis promittunt tempora natis ;
quos aut sacra deum et pendentibus infula vittis,
ingenio aut partum decus ac praestantia linguae,
artibus aut variis excultum pectus honestat,
majorum aut tabulae, aut merces peregrina beabunt.
His amor, his studium recti et vetus illa priorum
simplicitas, his cara fides, pectusque deorum
praesidio innitens, ac nota penatibus ora.
Hinc illis responsa deum atque in omnia veris
semper imaginibus, venerandaque sortibus antra
in dubiis reddunt vigilata oracula rebus.
Tu vero, mihi care puer (per sidera testor,
quae tibi vel magnos non inficiantur honores),
illecebris ne dede animum, neu deside somno
otia corrumpant mentem ; procul effuge et artis,
quas Virgo teneris molles meditatur ab annis :
post etenim in duros convertet pectora mores,
et praecepta dabit vitae, et bene consulet annis.
Haec fasces, haec divitias e culmine fulgens,
haec populis dat jura et magnis praeficit actis,
et tamen ingratos queritur persaepe ministros,
divitias quibus, aut primos concessit honores ;
hoc et ab oceano queritur. Sed candida conjux
solatur faciles curas, et, brachia collo
implicitans, prolem optatam carosque nepotes
osculaque incurvae promittit blanda senectae.
Atque utinam non haec levior, non ille nepotum
vulnus et extincti suspiret funera nati,
depositumque senex mutam deploret ad urnam,
et frustra variis exornet busta coronis
dona ferens advecta Arabo ac bene olentibus Indis,
imprudens, qui non et amatae conjugis atrum
funusque et thalamos videat sine honore relictos.

Hunc labor, hunc et cura premet juvenilibus annis,
huic et felicem praestabunt fata senectam,
quem laeta ex imo Virgo spectarit Olympo
ornatumque animi donis et mercibus amplis.
Haec dea dat curas animis, dat et utile pectus
consiliis, dat secretas exquirere causas,
moliturque novas artis, mentemque deorum
explorat, dubiis quaerens oracula rebus,
nil intentatum ingenio, nil linquit inausum,
quod natura tegat, tegat et vis insita fato."
Sic illam pater instituit, quo tempore caelo
transtulit et tectumque una soliumque locavit.
Hanc justa Cytherea tenens nitidissima tecta
stat foribus radians auro, gradibusque sub ipsis
sparsa nitent variis argentea lumina pomis.
Veris opes pendent tectis, circumque supraque
explicat ipse suas merces Autumnus, et alte
succincta incedit nudis Vindemia plantis,
ac nova calcatis despumant praela racemis.
Nec vero dea caelicolis praelata puellis
ipsa suas non culta domos, non aurea sedes
invisit, non lauta dapes et vina quotannis
rusticaque hic positis statuit convivia mensis
autumni memor, insolitasque ad plectra choreas
instaurat, mox et mensae placitura secundae
seligit e plenis bene olentia poma canistris,
quis onerat formosa toros et odoribus afflat.
Causa latet. Memini sed me per curva vagantem
litora Caietae, qua Formius aurifer amnis
in mare se volvit, viridisque in margine ripae
aurea fragranti spirant redolentia flore
citria, et albenti miscet se laurus olivae,
et myrtus complexa maris nitet aemula rorem,
illic sive ea Nereidum fuit una sororem,
seu Siren, quae finitimis versatur in antris,
audisse intonsa modulantem carmen in umbra,
cantanti vitrea socias plausisse sub unda,
litoraque arguti referentia murmuris auras :
"Damnabat Venerem Juno, damnabat et ipse
Palladis armisonae chorus, inviolataque Deli
virgo, quod, aurato postquam lux addita Tauro
fulxissetque astris, tantum illi florea rura
et tantum curae pratensia dona fuissent.
Illam inter frondes, inter vernantia prata
desidias agitare atque otia ducere inertem,
non fructus, non poma daret de pinguibus hortis,
sed solum studio delectaretur inani
munditiis operosa et inerti segnis in umbra.
Subrisit dea caeruleis generata sub undis,
ac, niveis delapsa polo per inania cygnis
culta sinum, gravidos Autumni venit ad hortos.
Affuit intranti deus. At nitidissima, culta
illecebrisque armata senemque amplexa fatigat,
nec precibus contenta etiam blanda oscula jungit,
ut sibi de nitidis liceat pendentia ramis
carpere poma manu et croceas de vitibus uvas.

Ille ut se dignum amplexu sensitque per ora
ora deae, ac tener ille calor per membra cucurrit :
nil, o nil, dea, non nostros lectura per hortos
carpe, tuum quodcumque vides, quodcumque repostis
pendet in arboribus. Facilis dea tum dedit illi
tractandam, quae de geminis erat una papillis
rorata ambrosiae succo ac redolentibus auris ;
attactuque hausit deus immortale venenum,
confestimque imis defluxit ad ossa medullis.
Tum sponte arboribus ceciderunt poma recussis
in gremium delapsa deae, quaecumque vel ortus,
quaeque vel occasus, vel quae creat humidus Auster.
Quin famulam (famulae fuerat Pometia nomen)
his honerat, junctosque iterum conscendit olores.
Ut caelo stetit exposuitque hortensia dona,
invidere deae. Risit Vulcania conjux,
quoque mage invidiam moveat, librantibus illa
lancibus imponit famulae et venalia tradit.
Caelicolae risere astum, magnoque favore
conveniunt fulvis et mutant poma talentis.
At memor antiqui furti Rhodopeius heros,
dum simulat legere e multis fragrantia mala,
candentis dextrae articulos summamque sinistram
furtivus tetigit. Rubuit Venus aurea. At illi
decidit e manibus pretium, et suspiria movit
exanimis ; ciet extinctas nova flamma favillas.
Quoque dolus lateat, ad avum conversa, racemos
obtulit implevitque sinum senis. Ille renidens
excepit neptem amplexu et blanda oscula junxit ;
at Veneris teneras pupugit barba aspera malas.
Quae postquam divorum oculos implevit, et amnes
emisit late fluidos Lenaeidos undae,
decrevit testatum astris insigne trophaeum
et longa egregium facinus producere fama,
affigens caelo famulam, cumque ignibus aureis
incendens trutinam trutinaeque volubilis hastam."
Talia cantabat memorans ad litora Siren.
Hoc igitur signo genitos primum aequa probumque
delectant, liquor atque olei et Baccheia merces ;
praecipites sed livor agit. Tum pondera tractant
annonamque unguentaque, et aequis corbibus instant ;
sed variat fortuna suis mutabilis alis,
et molles animum mores et avara cupido
inficiunt. Igitur, Libra fulgente per ortum,
in lucem quicumque venit, non ille deorum
contemptor, non recta animi sententia mentem
deseret, aut raris exsurgens gloria factis ;
at vitae tenor inconstans moresque labosque
turbabunt et multa novis discrimina rebus.
Hunc lites atque immeritis certamina causis,
hunc adversa fori vexabunt arma. Sed ipse
invictus feret, ac multo se robore firmat ;
quem tamen amissis prosternent funera natis.
At cum se summo librarint aethere, Chelae
felices dant eventus, dant prospera rerum
subsidia, et, quotiens aliquid fortuna malignum

vexerit, instaurant alieno funere damnum,
aut ex alterius jactura, aut forte latenti
thesauro. Sed nec pietas cultusque deorum
defuerit nato, quibus annua vota per aras
persolvat rite incolumis, nec carmina derunt
culta, nec aurato resonans cava tibia buxo.
Hunc dulcis lepos et grato facundia gestu
adjuvat, et blanda comitatur gratia lingua.
Quod si nimboso occasu atque Atlantis ab hortis
in mare praecipitent, dant publica munera natis,
et regum insinuant domibus ; mutabilis aura
hos manet et nigris post albos urna lapillis,
ut neque constanti perstet fortuna tenore.
Ex imo censum patrium proavisque paratas
perdunt divitias, nulloque in munere primos
constituunt ; verum post damna gravisque labores
lucra parant, atque e tabulis secreta ministrant,
et longa tandem consumant fata senecta.
Nec cineri extremum muto inficiantur honorem
noctipares Chelae, quibus aurea Cypria quondam
constituitque et avo solium et sibi tecta paravit,
adjecitque hortos, quorum Pometia curam
fida gerit dominaeque suae pomaria servat.
Quis deus, aut quaenam fati sententia caelo
transtulit infelix monstrum ? Quae causa Tonantem
movit, ut acceptumque polo stellisque micantem
sit passus terrere fera sub imagine mundum
Scorpion, et toto virus dispergere Olympo ?
Nec vos compellare ausim, Permessides, undas
quae colitis, nec quae vati sacra numina adestis.
Virginei non oris opus ; Martisque furorem
quis divum non pertimeat, cui pectora ferro
tecta rigent semperque ferus lateri haereat ensis
ferrato, cui sanguinea manus horreat hasta,
oraque flammivoma rutilent afflata Chimaera ?
Vos precor, o vos, quae terris insomnia noctu
luce polo secreta hominum, secreta deorum
vulgatis (vestrum hoc opus atque haec munera vestra),
pandite per tenebras causam, cur pessima caelo
bellua constiterit, cur tetro armata veneno
afflarit superos. Neque enim Mavortia tela
horretis, tenues umbrae et sine corpore sensus,
nec testes vobis ulli referentibus assunt.
Sparsa papavereis rorabunt atria succis,
et nulla excludet somnos patefacta fenestra.
Sic ego. Sopitam sic somnia fantur ad aurem :
"Arderet misero Veneris cum captus amore
ac tantum dominae imperium Mars ipse timeret,
cessisset studium armorum, fera bella quiessent,
pro lituis citharae, pro telis plectra juvarent,
ac solae Veneris torquerent pectora curae,
pomiferam dominae ante domum myrtetaque culta
suspendit clipeum ac tentoria fixit inermis.
Ipse deos, ipse heroas suspectaque ponti
numina, rivalisque timet Cocytidas umbras,
imprimis facie insignes nitidaque juventa

pastorem, Penee, tuum Atlantisque nepotem.
Neu dulcis citharae studium, neu carmina longe
praeferrent. Dolor ingeminat, quod uterque pharetram
exercet, quod tantum alter virtute palestrae
polleat. Haec miseris urebant pectora curis.
Quid non cogit amor ? Furtim deus aethere ab alto
labitur, obscuras Ciconum et pervenit ad oras,
ignotusque premit virosa litora ponti.
Hic legit quicquid valles et prata veneni,
quicquid habent colles, aconitaque plurima carpsit,
quae contusa simul geminoque intersita saxo
defodit, clipeumque super, super indidit arma.
Nec multum post effluxit, cum prodiit ingens
e saxis fera, proverrens et litora cauda
et caelum foedans squalore et numina flatu,
ut jam caelicolae mortalia fata timerent.
Sensit et ipsa malum formae sibi conscia cultrix
Idalii, summoque super de culmine tecti
(ne tanti nova causa mali ferretur) ibi omnem
ambrosiae vim diffudit, sparsitque per auras
divini roris succum, exstinxitque venenum.
Tum Superi fremere in Martem, accusare Tonantem,
praecipitem quod non caelo jecisset ab alto ;
aptabatque pater telum. Vetuere sorores
fatorum memores, quod proelia saeva Gigantum
hujus ope extinguenda forent, quod brachia monstri
et caudae telum letale, quod ora veneno
armata indueret Mavors, quibus inclytus armis
sterneret anguipedes diverso vulnere fratres.
Jupiter attonitum ad sese vocat, et Lethaei
gurgitis admonet. Tum Mars iraque metuque
instinctus cauda apprensum deciesque rotatum
aera per vacuum patriis allisit in arvis
nigrantem. Trahit icta gravi de verbere hiatum
terra tremens, patuere imi claustra abdita Averni.
Obriguit nepa datque atrum de gutture virus ;
mox repit terrae insinuans, cavaque antra secuta
succeditque Erebo, Stygioque in litore sistens
infecitque et aquas tabo et foedavit arenas ;
at Manes trepido fugere in Tartara cursu.
Hinc deus, admonitu Parcarum et sorte futura
bellorum, monstri effigiem atque horrentia membra
armavit flammis, acuitque in vulnera caudam
oraque pectoraque et minitantem incendia ventrem."
Haec ait, et madidis somnus se sustulit alis.
Permansit signo virus, quod pectora longe
natorum referunt. Hinc his perjuria cordi
et fraus insidiaeque et amor sceleratus habendi,
armatumque dolo facinus, tinctique veneno
crateres, carmenque nocens, visque insita ferri,
et scelerum longe infamis per corda libido.
At quibus in primo nascentibus affuit ortu,
non his dexteritas rerum, non mentis acumen
defuerit, verum ira ingens et pectoris aestus
et varii exagitant motus, multumque fatigant
adversa, et tamen hos felicia fata potensque

eventus manet, ac sobolis jucunda propago.
Atque utinam non et, patria tellure relicta,
externas quaerant urbes, non prima sepulcro
pignora dent, non ob veteres certamen amicos
damnaque et immensos subeant quandoque labores.
Nam, cum de summo nascentibus affuit orbe,
difficiles animi mores, sed fortia praestat
pectora, sed magno claros extollit honore
ex humili persaepe loco, dominique potentis
sullevat officio. Tamen et consortis acerbum
funus et indignos affert de prole dolores,
nec patitur certa errantes consistere terra.
Efferet uxorem optatam primosque hymenaeos
lugebit, cui Maurusio de litore caudam
vibrarit Nepa fatiferum jaculata venenum.
Non tamen ingenio deses, non pectore segnis
ipse geret magna commissa negocia cura ;
decumbet terra ignota caeloque alieno,
et cadet infelix violenta caede peremptus,
sive repente ruens fato rapietur acerbo,
quanquam prima gerens et magna negocia primus,
ex imo cui forte loco se Scorpius offert
armatus, ipse ima minitans fera vulnera cauda
fraude potens nitensque astu dominoque superbus,
quando etiam socio junxit sua tecta sub antro.
Dic, o dic, age, sancte senex, dic, maxime Chiron,
nam te fama tenet stellis radiare sub istis,
dic, age, quae te causa polo quisve indidit astris,
anne alius tanti laetetur munere signi.
Sic ego. Sic placido coepit pater optimus ore
educens antro caput, et nitido igne coruscans :
"Saturnus pater, at genitrix mihi Phillyris una
Nympharum, quae nimbosis in montibus herbas
carpebat succosque premens miscebat et aegris
arte sua praestabat opem, quo munere patrem
traxit in amplexus quamvis formosa, nec ulli
cederet aut facie aut longis spectanda capillis.
Cumque hominum thalamos fugeret, vi comprimit illam
clausus equo deus. Hinc partem prognatus equinam,
qua genuit, refero ; matris pars rettulit ora.
Haec puerum instituit cithara docuitque per artem
cogere sub numerum verba atque innectere chordis ;
post etiam sucus herbarum usumque medendi
et curare manu vulnus cantuque levare.
Saepe etiam Aonides, fusae cum matre per herbas,
divinos lusere modos. Hae carmina nobis
monstrarunt, hae caelicolas placare colendo
et sedare animos et vincere dura ferendo.
Nec vero pater, accessit cum fortior aetas,
abjecit nati curam ; nam vivere parco
monstravit, rectique viam sortisque futurae
admonuit memorem, praesentem expendere casum,
justitiamque sequi et grata pietate parentes.
Haec servans alios monui, imprimisque deorum
ipse memor sacro mortalia pectora cultu
formavi, et castas respersi frugibus aras.

Inde deos mihi concilians divertit ad antrum
saepe meum Clarius vates, aviumque volatus
et voces didici, quidve exta trementia veri
portendant. Feriat nervo quo missa sagitta
certa modo, didicique vias caelique meatus
hospite Mercurio. Quin et monumenta reliquit
digna deo plectrum auratum citharamque sonantem,
cui septem geminae radiant per tympana chordae.
Ipsa ebore intertexta auroque interlita caelat
custodis monstri languentia lumina ; virgae
attactu redit in propriam Io versa figuram."
Talia narrabat senior, subitoque retexens
auratam chlamydem : "Sunt haec sua praemia laudi,
hoc, inquit, meritum virtutis." Et exerit arcum
insignem stellis claramque sub aere sagittam,
insignemque manum cubitumque insignibus astris
et caput et fulvo radiatum sidere pectus,
genuaque tergoraque et fulgenti vellere caudam.
Moxque subit : "Postrema dies atque ultima vitae
hora mihi finisque aderat jam certa senectae.
Sicut eram, pater omnipotens circumdedit actum
candenti nube et sullatum ad sidera vexit.
Astra micant, candet nubes circumdata membris,
Aetasque in viridem mutata est cana juventam.
Quin et concilio fratrem numeroque deorum
Jupiter optasset, ni pars obstaret equina ;
quod simplex natura deum. Tamen aurea junxit
tecta meis ; juncta est et fratris regia fratri.
Hoc olim signum ac minitantem vulnera cornu
semihominem caeli praesertim hac parte locavit
Jupiter, ut vidit tetra mavortia cauda
monstra polo furere, et stellas foedare veneno ;
armavitque manum nervo, celeremque sagittam
addidit, immanemque feram caudamque rotantem
sectari jussit telo atque infigere costas,
siqua umquam positis cessisset bellua claustris.
Hinc primum caelo admotus flammisque coruscat
Centaurus. Post hac etiam me parte recepit
fraternae pietas curae meritumque laborum.
Quin etiam precibus matris studioque sororum
Aonidum, cantata etiam ob certamina divum
resque hominum bello illustres et fortia facta
virtutesque laboresque et decora ampla virorum,
aurato in caelum curru atque in nube serena
sustulit et mecum hoc templo sacravit Homerum,
praestantemque tuba et vincentem carmine cygnos,
ac matrem insigni referentem voce Camenam.
Accepi vatem hospitio laetusque libensque
cantorem veteris belli ac pugnacis Achillei,
quem puerum cithara institui docuique vel arcum
lunare ac pugnare pede, aut certare quadrigis.
Exstinctum hic cecinit, cantuque ad sidera vexit.
Post Veneris natae precibus, meritoque favore
Aeneae indigetis, magnoque instante Quirino,
insignitum astris fulgentem in nube Maronem
Jupiter his tectis nostraque in sede locavit.

Hic, ubi bissenis circum redeuntibus annis
instituitque dapes pater et carchesia libat
Titanum pugnae memor, hi certamina voce
ingeminant : plausu resonant cava tecta sonoro.
Mirantur superi vates, et carmina totis
auribus arripiunt. Tacito tum corde Meletes
laetatur, tacito laetatur pectore felix
Mincius, et liquidis irrorant atria lymphis,
poculaque effusis tergunt argentea rivis.
Ne vero nostri patria ignoretur Homeri,
Virgilii aut jaceant proprio sine honore parentes,
illi Aon patria est, genitum mons suscipit antro
educens nemore in lauri, dulcique liquore
Castaliae alternoque sinu fovere sorores
Pierides, cantuque leve induxere soporem ;
Mincius hunc genuit conceptum ex Andide nympha,
quam Phoebe sociam atque anguis de vulnere tardam
commendat Mantoi, furtim sed caerulus amnis
languentem et sola tacitus sub rupe jacentem
implevit. Postquam ex utero jam prodiit infans,
quo partus lateat, denso pater ipse salicto
occultans (ut forte locis habitabat in illis)
pignora sollicitae commendat cara Melissae.
Haec natum gremio excipiens, flaventia mella
instillat puero et dulci rore illinit ora.
Ille favi ducens tenerum de nectare succum
paulatim somno capitur, circumque frequentes
ora vagantur apes, lectumque e flore liquorem
intingunt labris et rore madentia fingunt.
Atque hunc caerulei nantem ad vada nota parentis
Nereides, (nam forte Pado procul aequore nabant)
inspectum rapuere. Aderat tum candida Siren,
quae vocis merito et blandae modulamine linguae
formosum dono puerum tulit. Inde per altum
sullatumque humeris, ponto plaudente, ferebat,
litora finitimo repetens conjuncta Vesevo.
Haec puerum instituit cantu, ac mox capta pudore
arsit, et assuetis fovit malesana sub antris :
Parthenias juveni nomen de virgine mansit.
Nec temere huic signo tantum tribuisset honoris
Jupiter, iratus ni contra tela Gigantum
Centaurum indueret. Namque arcu corpora leto
anguipedum bissena dedit, bissenaque equinis
calcibus, et toto victor discurrit Olympo.
Hinc etiam natura Jovis sub sidere mansit,
nam recti studium atque animi praestantia magni,
et fratrum commendat amor visque insita cordi
dulcis amicitiae. Stimulat generosa cupido
nominis ac pretium famae et certamen honoris,
Arcitenens quos ipse suo tutabitur ortu,
judiciis idem insignes opibusque operaque,
qui prodesse velint aliis, qui vincere norint
certantes, quique et lucris amissa repensent
rursus et adverso fato dispersa reponant."
Nate, vides, quid certa fides, quid docta senectus
promittant. Meruit caelum, nova sidera Chiron

effulxit, certantque, deo cenante, poetae
in laudes, dique ingeniis praestantibus assunt.
Fata hominum caelique situm et sua numina monstrant.
Namque heros saepe Andaeus Simoentida divam
invisens, thalamo geniali exceptus et aula,
colloquio fruitur dominae, Charitumque choreis
immistus canit Aeneam ; tum sedula mater
incingitque comam frondenti et tempora myrto,
invitatque hortis, ubi mollis amaracus illum
floribus et dulci spirans complectitur umbra ;
inde sinum pomis onerat Pometia, et ipse
autunnus spoliis ramorum et fructibus implet,
ambrosiaeque fluunt per prata virentia rivi.
Jam primo quotiens caelo fulgentia Chiron
ora effert, quicumque novas in luminis auras
prodierit, quantum ille maris, quot flumina obibit,
quae terrae errantem excipient, quos viderit hostes.
Et tamen insperata etiam patrimonia adibit,
publicaque inspecta geret ipse negocia cura,
ingenio bonus atque artis instructus honestas.
Errores etiam varios hostemque potentem
indicat insidiasque et multa pericula, caelo
si medio aspiciat ; patrimonia perdit, et idem
restituens aliena dabit, studioque fideli
jungit amicitias, conceptaque foedera servat
exercens habile ingenium, et mentem aptat agendo.
Saeva tamen pueri tela immanemque pharetram
irati ciet atque incensos ventilat ignes,
perque oculos placidum demittit ad ossa venenum ;
incolet externas urbes peregrinaque tecta,
jactatus fato, tandem patriamque suosque
inviset, divum ipse memor. Sed pectora curae
exagitant, et saepe dolor per corda recursat.
Sentiet iratos hostes, cladisque suorum
exitii aut fratrum, magni seu causa pericli,
ille quidem occiduo Chiron cui mergitur astro.
Hunc caeli favor arridens hominumque favorem
concilians statuit templis et praeficit aris,
Ingeniique bonis atque artibus ornat honestis,
cui favet ex imo senior Centaurus Olympo.
Quin dulcis natorum amor et jucunda propago
felicem efficiunt. Nam, quamvis pignora prima
efferat, optata rursum nova gaudia prole
suscipiet. Cumulabit opes pietate suorum,
debeat ut caris censum et bona parte propinquis.
Multa etiam in superos pietate utetur, et aris
plurima pro meritis persolvet vota benignos,
thure deos veneratus et igne calentibus extis.
Hoc signo sese caelum regione sub ima
praecipitat, mergitque cavo nox atra profundo,
hibernumque latet caecae caliginis antrum,
ultimaque obliqui squalet procul orbita mundi.
Quo postquam sol praecipiti vertigine mersus
declives impegit equos, languensque madensque
defessus curru et longarum errore viarum
sistit iter, pronaque caput cervice reclinans

demersos spectare locos timet, inde supinos
attollens oculos elato lumine clivum,
ingentem late clivum timet et suspirans
suscepti queritur tantum superesse laboris,
rursus ut aestivum clivo rediturus ad axem,
hinc lassos instaurat equos et firmat euntes ;
nos quoque defessos operum rarique laboris
hortatur sol ipse operis dux sistere currum,
et juga fumanti taurorum demere collo.

# LIBER III

U_3

Luce nova bonus annus eat ; jam suspice, nate,
rorantis Phaetontis equos ; en aurea cano
purpureos Aurora sinus de gurgite tollit :
carminis haec nostri fuerit dux. Sic tibi conjux
perstet in amplexu placido viridemque juventam
induat, et sit nulla tuis injuria taedis ;
sic nati sacros manes, sic Memnonis umbram
ales ab antiquo celebret venerata sepulcro :
pande viam qua solis equi, quaque orbita currus
Luciferi assurgit ; tibi enim, tibi credita primae
cura foris, tu mane novos ad frena jugalis
exagitas, lucemque cavis e postibus effers,
unde dies toto passim diffunditur orbe.
Bruma tibi veteris finem nascentis et anni
principium dux certa dabit, quo tempore Phoebus
ultima Centauri peragrat momenta biformis.
Mox celeres impellit equos in cornua, quis se
armatum ingentis clivi de limine primo
Aegoceros offert : haec incunabula solis,
surgentisque anni prima est infantia ; dum se
induit in vires paulatim firmus adultas,
Phryxeique premit radiantia vellera monstri,
et lucem noctemque pari discriminat hora.
Atque hinc digrediens animis juvenilibus usus
insultat caelo, spatiisque ingentibus actis,
vix aliquid tenebris linquit, fessosque jugales
sistit, ab aestifero spargens incendia Cancro.
Hinc sensim lux surripitur, tenebrisque malignis
cedit fessa dies, tamen ut consistere contra
audeat impressis figens vestigia Chelis.
Sed mox prona fugit violenti excussa ruina,
exsuperantque hiemes, passimque horrentibus umbris
squalescit caeli facies, cum luce repulsa
ingeminat nigras nox importuna tenebras,
et cadit infelix aevo variabilis annus.
Ipse tamen redit in gyrum, viresque resumit
impiger, aeterno semper remeabilis ortu.
Hinc mortale genus passim cadit, usque resurgens
per species tamen, atque aevo reparabile durat.

Principium, Capricorne, tibi debetur et anni,
per te namque hominum generi lux optima surgit,
per te sol terris iteratos suscitat ortus
annuaque ingenti parat incunabula mundo,
laetaturque novo surgens infantia caelo.
Te vero horrendum cornu caudaque minacem
praefecit caeli foribus prudentia divum,
janitor et fato positus magna hostia servas
Parcarum monitu. Namque olim, astante deorum
concilio legesque orbi dicente senatu,
talia constanti cecinerunt voce sorores,
fata colo rerum ac seriem quae pollice ducunt :
"Caelicolae, servate fores, vigilesque locate
liminibus : furit iratis nova bellua terris
foedare afflatu caelum atque irrumpere Olympo,
ac thalamis reptare deum et sparsisse veneno.
Jam postes atroxque irrumpit limina Python,
sparsaque torpenti livescunt ostia tabo ;
jam manus anguipedum caeloque irata juventus
insultat portis, jamque ex adamante securim
Porphyrion quatit et postes diffringit apertos,
immittitque acies Briareus atque agmina densat."
Has voces fusaeque comae lacrimaeque sequuntur.
Attoniti fatis superi in discrimine tanto
diversas agitant variato pectore curas,
ac tandem e multis una haec sententia sedit :
curarent seniorque pater Saturnus ab aevo
jam sapiens Marsque armipotens, cui pectora bello
assuerant, nequid portis fraudumve malive
accideret, neque caelo vis externa obesset.
Custodes lecti foribus tentoria figunt,
castra locant, vigilemque suum in statione recensent ;
multa quoque inter se varia ratione volutant.
Dum senior custodem Erebi triplicemque latratum
commemorat, placuit caeli quoque limina monstro
horrifico armare et terrorem adjungere claustris ;
ac subito in Libyes fixerunt lumina terris.
Ecce vident Nomadum in campis, Tritonida ad undam
errantem, ac gemino cornu capita hirta ferentem,
squamosaque feram cauda atque horrentibus armis
sulcantemque arva, et pedibus juga celsa prementem.
Illicet accitam caelo flammisque micantem
praeficiunt foribus, radiisque ardentibus armant,
liminaque ignito vallant sibi credita monstro,
cui nares efflant candenti e sidere flammas
et caput et cervix geminatis ignibus ardent,
cornuaque hirsuta spargunt incendia fronte ;
cui pectus radiat flammis, venterque, pedesque,
et clara innumeris scintillant terga favillis,
accenditque globos flammarum in vulnera cauda.
Qua quondam Coeum implicitum deciesque rotatum,
ambustum flammis et tinctum membra veneno
in mare provolvit, Coeoque ruente favillas
contraxere aurae incensusque incanduit aer ;
unde hodie veteris remanent vestigia flammae
nubibus in mediis, quotiens aut fulgurat aer,

igneave aetherios percurrit linea tractus.
Nec vero non et pelagus, qua corruit ardens
anguipes, obstrepuit flammis strinxitque favillas,
intortumque hausit fumanti gurgite monstrum.
Horruit Oceanus visum obriguitque capillis,
spumeus eque humeris tremulo delapsus amictus.
Mox ira accensus fumantem aestusque vomentem
percussit saevo lacerum sub corda tridenti ;
vulnere quo (namque haec inerat vis insita telo)
in squamas abiit cutis, atque e corpore tanto
prodiit immanis scopuloso tergore pistris.
Ast umbra infelix Erebumque et opaca subivit
Tartara ferratasque domos. Ibi vincta catenis,
ambesoque trahens adamantina vincula collo,
fert montem fumantem humeris raptatque caminos.
Hinc igitur sol ipse vias orditur, et aequis
passibus incedens medio se temperat orbe,
non laevum dextrumve petens latus. Annuus inde
huc redit, assuetumque iter assuetosque labores
instaurat, portisque novus bipatentibus exit,
victricesque rotas clivo summittit anhelo.
Hoc igitur signo genitos curaeque laboresque
exercent cultusque soli terraeque domandae,
hos dulces verborum aurae tenerique lepores
delectant ; sed multa tamen mendacia vanos
efficiunt, neque enim dictis constantia perstat.
Quin etiam foedi mores urensque libido
sollicitat cupidas mentes, studiumque nocendi.
Nam quibus in primo surgens apparuit ortu,
his superat res ampla domi, sed sponte per orbem
visendi studio allecti peregreque vagantur.
His amor in teneras succendens corda puellas
subjicit imperiis dominae ; verum arida postquam
desaevit sitis, et longe exsatiata libido est,
sectanturque odiis et iniqua voce lacessunt.
Degener his animus, sed mens famulata deorum
obsequiis precibusque aras ac templa fatigat,
verum instructa dolis fraudemque in corde volutans ;
ingratisque operas ipsi et benefacta locabunt.
At famae pretium nobis et gloria crevit,
quod medio fulxit radians Capricornus Olympo.
Hinc etiam secreta poli atque occulta deorum
panduntur, variisque manent accommoda rebus
pectora, et ingenio quaesitum nomen ab ipso est.
Hinc multis alimenta damus, nostroque fovemus
praesidio et magnis primi quoque praesumus actis,
et primi veterum colimus monumenta virorum.
Pronus ab oceano mentis portendit acumen
ingeniumque capax et vestigantia longe
corda, sed occultos languenti in parte dolores
corporis, aut animi varios denuntiat aestus,
criminaque insidiasque gravique pericula damno,
e quibus emergit tandem placideque quiescit.
Sede jacens ima patrimonia vertit, opesque
alternat patrias, propriis quas viribus inde
colligit et diti peragit sua fata senecta,

ac sibi vel natos alienae stirpis adoptat,
aut prolem ignoto genitam de semine tollit ;
atque haec hiberno praestat Capricornus ab antro.
Hinc tener humentis resupinat Aquarius urnas,
ac (mirum dictu) rivos e sidere fundit.
Ipse puer (sic fama refert) gratusque Tonanti
marmorea miscet rorantia pocula dextra,
atque deos rara trahit ad spectacula forma
insignisque auro stellisque micantibus ardens.
Namque comam geminis circum caput implicat astris,
et latos humeros duplicato sidere et ambas
insignitque manus niveamque ad pectora mammam
atque utrumque genu cubitumque utrumque pedesque.
Nec non et lumbo, nec non et crure refulget
sidereus puer, et roseus per membra coruscat
fulgor, at auratis scintillant ignibus artus.
Quin dextra levaque hinc illinc stellifer amnis
labitur, et fulvo radiat fluor aureus imbri,
incensasque vehit sinuosum flumen arenas.
Cujus ad exortum primoque a fonte renidet
Stella micans, unde irriguus devolvitur amnis,
muscosumque patet pictae testudinis antrum,
Naiadum thalami dulcesque ad furta latebrae.
Imprimis habitat mollis Lascivia tectis
nuda genu, paetisque oculis invitat amantes,
et praefert niveas rosea cervice papillas.
Sic vobis, nymphae, aeternum sit ludere in antro,
Naiades nymphae, sic ipsa ad gaudia certus
assit amans, stetque intacto sub foedere lectus,
et primi semper maneant in amore calores ;
dicite (nam memorare juvat) quae sideris hujus
causa, quid aeterni manent de sidere fontes,
quo mecum vestri maneant cum carmine honores.
Hoc signo statuit portas natura secundas
aetheris, et caeli posuit simul altera claustra
adversus rapidum Pythona irasque Gigantum ;
praeficit his famulum egregium Saturnus, et ambas
servantem portas tuta statione locavit.
Ille, ut erat cura vigilanti et viribus amplis,
praemunit fossa vallos et flumina fossae
addit et immittit violenti gurgitis amnes.
Tentantes igitur muros, et moenia longo
ariete quassantes, et vi rapida arma moventes
anguipedes, caeloque faces inferre parantes
diluvio immersit juvenis. Namque, aggere rupto,
fossarum immisit rapido torrente fluentum
undivagum, quo late ingens sub vertice torto
absumpta est legio, et rutila natat agmen in unda.
Atque ibi tum, in geminos diducens se ipsa rotatus,
altera spumosum Alphestem fluctusque vomentem
aera per vacuum, nimbo comitante, per auras
praecipitat. Ruit ille, ruens atque imbribus auras
imbuit infectas pluviosum atque aera nimbis,
unde aeterna manent imo vestigia caelo
imbrisque et pluviae et torquentis fulmina nimbi ;
afflictus tandem scopulosis montibus ingens

ingentem late sonitum dedit. Inde liquescens
solvitur in latices, generosisque amnibus auctus
Eridanus flavis in pontum erumpit arenis,
Alphestisque Alpes traxere a nomine nomen.
Altera praecipitem Minanta per aera obustum
fulminibus jacit. Hic obliquo tramite raptus
concipit humentis Austros, quibus actus et ipse
Aethiopum per summa jugis inflixit acutis.
Qua jacuit, vomitis largos de pectore fluctus,
tabescunt et mox artus, ac margine longo
Nilus it ignotas noto vix fonte per urbes,
intrat et Ionium septeno gurgite pontum.
His actis, postquam caelo pax parta, Tonantem
admonuit decoris tanti, gratusque senatus
decrevit meritis factum illustrare trophaeis.
Effulxit stellis juvenis, diffulxit et amnis
conspicuus, facinusque manet regalibus astris
perpetuum, et magni celebratum est nomen Aquari.
Unde deum sibi praesidium discrimine in arcto,
quanquam nulla hominum superat spes, alite dextro
sentiet ac magnum divina sorte periclum
pervadet quicumque oriens orientis Aquari
felicis radios, et amicos viderit ignes.
Ille bonas artis sollers tractabit, opesque
inde parans, dabit et multis alimenta ministris,
et multos parto pascet, magnoque favore
junget amicitias primorum ex urbe virorum.
Munera quin etiam scriptis commissa tabellis,
sive deum in templis et sacra negotia curans,
sentiet invidiae vulnus, liventiaque arma.
Perdet opes, parta amittet, quae viribus usus
Ingeniique bonis facili ratione repenset.
Qui si de medio nascentem aspexerit orbe
fuderit et liquidos amnis de culmine summo,
divitiae undabunt illi, rerumque paratus,
affluet et multa quaesita pecunia curas,
publica dum tractat peragitque negotia sollers
propter aquam, studet aut rebus non segnis aquosis,
regibus aut placet, aut dominantum limina servat.
Sed nec certa fides undis, et flumina saepe
finitimos populantur agros, egressaque ripis
dant stragem, et miseri frustrantur vota coloni,
dum sata praecipitemque trahunt spem gentis et anni.
Fert et opes adimitque datas Atlantide ab unda,
lucraque damnaque mutato de sidere praebet.
Atque utinam quaecumque illi sua contigit uxor
seu vidua et primi thalamos defuncta mariti,
seu virgo furtim illecebras quae novit amantum,
sive anus, et penso quae dudum assuevit herili,
concordes agitet taedas servetque pudorem.
Nil illi gratum a sociis gratumve ab amicis
speretur ; sterilem ipse fidem frustraque dolebit,
siquem devexo nascentem vidit ab orbe
Idaeus puer et liventi infecerit amne.
Hinc fluvios et stagna timens, non aequora tentet,
Tyrrhenove ausit sese committere fluctu.

Invidia juvenem infecit Saturnus, ut olim
deformem se aevo atque effetum viribus, et jam
invalidumque artus et squalida membra rigentem,
ast illum facie insignem et florente juventa
ac vidit placidis aetatem ducere curis,
captantemque umbras et agentem ad plectra choreas.
Hinc signo mansit livor, quem pectora longe
natorum referunt ; manserunt otia, inersque
mollities, animusque ignava degener umbra,
quod signo Cytherea dedit. Nam, sedula crinem
dum lavat Eridanique caput depectit ad undam,
hanc gravior dictisque senex incensus amaris
accusat, quod nulla coli, quod sola decoris
cura sit, atque uni tantum placuisse laboret
pascenti niveas prope Nili flumina vaccas.
Tristius hoc Veneri nil unquam contigit, et se
surripiens irata comam dispersit, et amne
in medio jecit strophium et cum pectine gemmas,
aurea quis nitidum religabat fronte capillum ;
atque ait haec : "Quantum ille senex durusque rigensque,
quantum tristitiae simulato in pectore celat,
mollescant magis hoc illis sensusque animique,
inque viri speciem referant sine honore puellam,
quicumque hoc geniti signo se hoc amne lavabunt."
Dixit, et in geminos flexit vestigia pisces.
Excepere deam famuli, ac lenire dolentem
contendunt ; simo coepit sic alter ab ore :
"Tempore quo genita es conchaque imposta nitenti,
nos Paphon et carae provectam ad litora Cypri
detulimus, salsos et juncti enavimus amnes
caerula verrentes sinuatis aequora caudis.
Interea nos ipsa manu mulcere, jugalesque
appellare tuos, nobis et amaracon ipsa
porrigere et blandum ambrosiae instillare liquorem.
Quin etiam mutis voces et verba dedisti
reddere, et ingentem fando lenire laborem.
Ipsa loquebaris. Tumidi subsidere montes,
a tergo spirare aurae atque impellere fluctus.
Crispabat tibi tum molles levis aura capillos ;
illi perque humeros volitant perque ora recurrunt ;
colligis ipsa levi digito, ad frontemque reponis.
Tum passim laeti ex oculis spirantur honores,
scintillantque genis ignes, tremulumque per aequor
irradiat niveo fusus de pectore candor,
caerulaque undifluae ludunt sub stagna papillae.
Visendi studio incinctae funduntur ab antris
Nereides : stupet haec teretes mirata lacertos,
illa manum insignem digitis, pars oscula, at omnes
torpescunt, placidos flectis cum lenis ocellos.
Occurrunt hinc Tritonum chorus omnis et omnis
aequoreus grex, excultum dum sedula carmen
concinis, argutaeque favent concentibus aurae,
cantantem taciti excipiunt stupefacta juventus,
immotosque tenent modulata ad carmina vultus.
Mox incensa oculis, roseisque incensa labellis
concipiunt flammas venis, certantque canenti

oscula quis rapiat primus, quis pectora tractet.
Risisti, teneraque manu jaculata sagittam
certantes fixisti, atque ipso vulnere transfers
conceptum in nymphas juvenili ardore furorem.
Illicet invadunt socias, fusique per aequor
ille suam rapit, illa suum complexa per undas
ludit, et argutis resonant vada salsa cachinnis.
Ipsa inter medios veheris placidissima lusus."
Thracius haec ; udo Notius sic subdidit ore :
"Ipsa memor, dea, cum tenerum Nilotide in herba
pastorem ad lusus et munera grata petebas ;
nos te per proni devectam fluminis undas
tollimus, et nota laetantem sistimus umbra.
Ipsa memor, tibi cum ripa ulteriore lavanti
insperatum adeo juvenem totiensque vocatum
attulimus, jaculo insignem atque e caede madentem,
avulsumque apri caput a cervice ferentem.
Is te improvisam amplexu donavit et apro,
osculaque in roseis fixit malesana labellis.
Exanimis cadis. Exanimem fovet arctius, orique
ambrosiae inspirans auram et de pectore florem
Idalium revocat ; revocataque pectore blando
excipis, et, mollem amplexu dum nectis amantem,
huc illuc cupida ex oculis incendia jactas.
Quis passim toto caluerunt flumine pisces,
arsit et ipse imo septemplex gurgite Nilus,
ac nymphae insolitos antris sensere calores.
Mox et Acidalio lavisti rore madentem,
ac viola super instratum roseoque cubili
tecum sullata duxisti ad gaudia veste,
candidaque assueta nituerunt membra sub umbra,
murmuraque insonuere : sopor mox junxit amantes.
Nec non, ipsa animo repetens convivia magni
Oceani mensasque paratas litore Ibero,
scis, dea, caeruleas nobiscum nasse per undas
Tyrrheno in magno, et Tartessiaco secessu,
dum tecum divum accessit genitorque tuusque.
Ipsa etenim complexa patrem Piseide terra
(namque aderas, cum lecta domi Pelopeia juventus
certabat, plausuque Helis ripaeque sonabant
Alphei bimarisque Isthmos vicinaque ponti
litora), tum complexa patrem supplexque rogabas,
linqueret aerios tractus axemque tonantem,
et tecum bijugo sulcaret caerula pisce.
Annuit is, placidusque suae dedit oscula natae.
Ergo ubi ad Hesperios, superato marmore, portus
venimus, auriferique Tagi nos regia cepit,
Nereidum chorus hic omnis viridisque juventus
Oceani madidique amnes tacitusque senatus
astitit ; ipse parens undarum et rector aquarum
ter dominum veneratus. Ibi clamore salutant
certatim populi atque imo plebs acta profundo,
buccinaque insonuit rauco et tuba concava cantu.
Quo sonitu superi acciti, dum forte morantur,
approperant ; mensae appositae ; sedet auctor Olympi
in medio, accumbunt alii certo ordine reges,

luxuriantque dapes et vina liquentia rorant ;
Naides his centum incinctae totidemque ministrant
Nereides ; vacuis sunt muta silentia in antris.
At postquam summotae epulae, mensaque secunda
luditur, ipsa patri pomum et carchesia libas.
Libantis convivae oculos atque oscula et ipsos
candentis dextrae articulos limbumque fluentem
mirantur. Calices Marti cecidere remissi,
dum stupet inque genis haerentia lumina figit.
Inducis mox et choreas, mediisque choreis
aura levem tunicam surae subduxit. Ibi ille
enituit plantae decor atque argentea nudi
forma pedis, fulxitque genu pars prima nitentis,
qualis nocturna fulget tuus Hesper in umbra.
Dum tenuem plantae acclinans inducis amictum
ac femori pudibunda times, saliere papillae
pectore de niveo, ac rarum decus aera lustrans
praestrinxit spectantum oculos, texitque ruborem,
qui tibi per niveos furtim surrepserat artus.
Hic finis choreis. Citharam mox aurea sumis
insigne et plectrum gemmis, chordasque sonantis
ipsa levi digito sensim tangisque premisque,
ac vocem nervis, digitis quoque carmina nectis
emodulans. Siluere aurae, siluistis et undae,
venistique alias immotae ad carmina cautes.
Jam sopor inductus cantu compresserat ipsos
convivas. Tum docta lyram, tum fila recurris,
atque abigis volucres varianti pollice somnos.
Tum natam pater amplectens his vocibus infit :
consensu superum summo aequoreique senatus
debetur formae precium et decus omne, tibique
concedant et Nereides concedat et aequa
Pallas et ipsa, meo ponit quae membra cubili,
una interque deas et formosissima nymphas.
Ecce tibi citharaque potens duxque ipse choreis
concedit Phoebus, citharam quoque tradit habendam
intextamque auro et Daphneide fronde virentem.
Ecce tibi faciles cedunt in carmine Musae
et tua frondenti circumdant tempora myrto,
una et forma, una et choreis et carmine princeps,
et mihi felices inter carissima natas.
Laudantem plausu excepit Mars ; inde secuti
heroes : resono assensu vacua antra resultant,
ac nomen Veneris referunt ad sidera voces."
His tum mulcebat dominam Zephyritida piscis.
Hos igitur pater omnipotens, postquam aequora rursum
sulcavit stetit et Pisaeo in litore victor,
commotus precibus natae meritisque natantum,
immisit caelo, stellisque ardentibus aptos
jussit in aetherio geminos splendere recessu,
ludentisque polum obversis innare figuris.
Inde manet studium natis peregrina videndi
litoraque urbesque et longinquas noscere terras.
Hinc variat mens atque anceps in corde voluntas,
et non una quidem dubiis sententia rebus
assuetosque malo dulci post aura recessu

excipit, et placidi componunt pectora mores.
His generis fecundus amor stimulansque libido
ac resides animi mollesque ad pocula lusus
ingeminant, et laeta canens ad vina puella
excitat unanimes concordi foedere somnos.
Illi autem, dorso et pinnis et tergore toto
oreque caudaque inspersis simul ignibus, ardent :
sed sinuosa brevi diducit linea tractu,
alter ut in Boream surgat, cadat alter in Austrum ;
ipsa quidem triplici flexu triplicesque per ignes
fulget, et hinc claro nexum ligat aethera nodo.
Ille igitur, quem caeruleo de gurgite Pisces
nascentem aspiciunt caeloque tuentur Eoo,
multum urbes petet ignotas, longumque vagatus
notescet peregre externis novus advena terris.
Quin etiam ingenioque valens et pectore plenus
munera tractabit sollers ; quibus inde peractis,
ad majora gradu properabit munia certo,
certus amicitiis cognato et sanguine certus,
ulciscensque hostem facile atque ex ordine felix.
At cui de medio squamosis culmine nantes
alludent caudis, illum sua flumina noscent
vicinaeque urbes pelago ; censumque alienis
qui paret ex opibus multa et patrimonia gaza,
dives agri, dives pecoris, neque finibus unis
qui serat, ut duplici forsan dominetur in aula
imperitans, geminasque potens moderetur et urbes.
Ast hunc, pomicolae Hesperides si gurgite avito
accipiant udoque lavent simul aequore Pisces,
externae noscent urbes peregrinaque tecta
praestantem ingenio et facilem bene rebus agendis.
Quin etiam veneres et gratia magna sequetur,
obsequio ut multi passim famulentur amico,
nec vero non ille fuit accommodus actis,
civibus aut notus, aut fido pectore clarus,
aut cujus certae credantur munera curae,
quem celeres imo Pisces tueantur Olympo ;
nec non et thalamum aversans laesosque hymenaeos
accuset, meritoque illi damnabitur uxor,
ni felix placido faveat Saturnius astro,
spondeat et gratos blanda cum conjuge mores.
Hoc igitur te, nate, iterumque iterumque monebo,
observes semper signi qua parte tyrannus
felixve infelixve suo circumvolet axe,
stetne ruatne cadens, summo aut dominetur in orbe,
et quo quisque modo juvet adversetur et heros,
hospite quo laribusne sit ipse acceptus amicis.
His etenim variant vires et fata locorum,
certior aut certis perstat sententia dictis.
Atque haec te toto jubeo perquirere caelo,
quidquid agas, quaecumque tibi sint fata canenda.
Hoc signo solisque viarum atque ambitus anni
clauditur, idque suo testantur sidera nodo,
fulgentis clipei in morem, quo colchica frontem
exercet cornuque ferox insultat adunco
bellua, et aurati surgunt in praelia villi.

Hoc quondam clipeo divum se astante corona
quadrupedi Mars objecit, quo percitus ille
collegit sese in vires, mox terque quaterque
insiluit ; sonuere aurae ; tum fulgidus umbo
evomuit late flammam et lux ignea fulxit.
Octavo Mars excussus de verbere pallens
incumbitque genu, et vix pectore sistit anhelo.
At quadrupes cedens seseque in vulnera firmans
consistit, totoque oculos umbone pererrat.
Sublatus mox et saltu super aera ducto
injecit sese totum in clipeumque deumque,
excutiturque genu deus atque, in terga reversus,
labitur et superas plantis diverberat auras,
prostratusque solo dolet, ac nova praelia damnat.
Riserunt superi, et plausum cava tecta dedere.
Mox clipeum illustrant astris, monumentaque laeto
affigunt caelo aeternam testantia pugnam.
Talibus atque aliis nitet intertexta figuris
zona Jovis, Zona aurato circumlita textu,
fataque fortunamque suis quae temperat astris.
Nunc agite o, faciles mecum quae rura Napaeae
incolitis, quae frondosis in collibus hortos
asseritis colitisque vagos per devia fontes,
nunc agite o, raram insigni de flore coronam
texamus, myrtoque novos jungamus honores,
quo tumulum et magni veneremur templa Maronis.
Sparge rosam, largaque manu fundamus odores,
placemusque viri manes umbramque silentem.
Salvete, o cineres sacri, longumque sub urna
ver spiret tepidaeque hiemes et mollior aestas,
increscant tumulo lauri ac bene consita myrtus,
sponte sua maris et rores nova mella ministrent,
et nymphae arguta carmen modulentur avena.
Vos, manes, mihi felices et adeste vocanti,
et mihi quod reliquum caeli quove orbe vagandum
pandite, fatorumque vias et oporta monete,
ac toto rerum seriem deducite caelo :
semper flore novo, semper venerabimur aris.
Audivit pater et tota se sustulit urna,
et mihi certa suo fulxerunt sidera mundo,
quaque Arctos riget et qua se tegit humidus Auster.
Ergo age, care puer, roseo primum aspice ab ortu :
Nox favet, oceanoque suo vaga sidera surgunt,
exertatque Aries caput et, fera cornua quassans,
incipit in gelidos sese objectare Triones.
Illinc aurata nitet olim texta figura
navis, et ipsa suo spumescunt caerula fluctu ;
aurea materies et clavo nexilis aureo.
Ipsa quidem memor avectae de Colchide pellis
quadrupedem observat, versaque in vellera puppi,
prora latet, maloque suis spectabilis astris
prospectat ditem felici vellere lanam.
Quam caelo pater impositam regnare per undas
jussit, et esse polo voluit, quo nostra moveret
pectora sulcandoque mari remisque agitandis,
mercibus et peregre per litora curva petendis.

Ergo cui primo Navis sese obtulit ortu
in lucem venienti, hunc aequora salsa magistrum
agnoscent. Reget ipse manu clavumque tenebit,
Tiphyn et insana referet speculator in unda.
Ipse gubernator sic se Palinurus agebat
explorans ventos, atque auribus aera captans ;
talis et a Capreis villoso intectus amictu
vela dat, obliquatque sinus, et colligit Euros.
Ast ubi se oceano immersat, si frigida cani
stella senis radios impegit forte nocentis,
illos Euboicae cautes dirusque Caphareus
exspectant, illos nigrantibus acta procellis
haurit hiems latus aut scopulo diffringit acuto.
Hoc te, nate, docens iterumque iterumque monebo :
vita tibi motusque animi quaerendus ab ortu,
unde etiam toto lux ipsa effunditur orbe ;
surgit ab occasu mors importuna maligno,
qua tenebrae, qua nox nigrantibus advolat alis.
Ergo animum quod constituit, quod continet artus
sidus ab exortu, mutato foedere rursum
perdit, ab occiduo si telum emiserit orbe.
Insequitur post Orion, quem rettulit astris
venandi studium atque actarum in tela ferarum.
Ipse ensem auratum incinctus venabula gestat,
sollicitusque animi mentem dubiusque fatigat,
et parat in saltus jam jam se inferre repostos,
genuaque brachiaque exsertans et pectore anhelus.
Unde et quem primo nascentem aspexit Eoo,
ille pedum cursu insignisque et corporis ipsa
mobilitate vigens, habiles se exercet in artus,
ille animi dubius et mentis percitus oestro
turbatis agitur stimulis, vexatque flagello
cura recens, mutatque locos inceptaque, et aeger
principis ipse aulas et limina nota frequentat,
discursatque foro, et populos rumoribus implet.
Pronus ab oceano vitreisque Atlantis ab undis
exercet mentem curis, versatque agitando
huc illuc, trepidos revocans in corda tumultus.
Munera quin etiam populi dum tractat, et absens
orator peragit magni mandata senatus,
infelix procul a patria carisque propinquis
decumbet moriens. Tamen haec solatia secum
haud ingrata feret, parvaque relatus in urna
condetur populi lacrimis, positusque sepulcro
ornatur titulis, nomenque refertur in actis.
Ante rogum flet maesta parens confecta senecta,
injicit et canos tonso de vertice crines.
At conjux contusa genas, discissa capillum,
infelix conjux caelum et crudelia damnat
sidera, seque rogos super injectura jugales
labitur exanimis ; vix fessi a morte parentes,
aut revocant gemini, qui flent circum ubera, nati.
Hinc fervens Auriga vago sese exerit axe,
nec sine re nomen traxit. Si fabula caelum
ornavit, tamen ipsa usum commenta sequuntur.
Huic currus, huic arma placent, junctique jugales,

quis Alphea secus labatur flumina victor.
Qualis Erichthonius currus et quatuor ausus
jungere equos, rapidisque rotis insistere victor,
qualis et Automedon currus moderatur Achilli,
quique etiam mediis domitor trux audet in arvis
sistere equum et gravibus cervicem onerare capistris,
cogere mox domitum et strictis agitare lupatis,
nunc curvo obliquans gyro, nunc verbere torto
impellens secat ille auras, atque aera campo
pervolitans. Dorso interea desultor equino
adstratus torquet celerem post terga sagittam,
mox hastam terrae acclivis levat et jacit ; inde
desilit alterius dorso levis, alteriusque
pressat equi costas et latos perforat armos ;
nunc humilis, nunc elato se pectore tollens,
nunc cervice super, duplici modo tergore fusus
huc illuc agitat cursum, et ciet agmina dextra.
At cum praecipiti occasu rapidisque sub undis
mergitur, incanamque videt per marmora Tethyn,
infelix tunc exitium meditatur, et axe
excusso rapit avulsos de corpore truncos ;
ac circum Iliacos lacerum trahit Hectora muros,
aut parat immani fatum crudele ruina
fulminis aerii, Capaneus ut turribus altis
igne Jovis ruit atque ustus descendit ad umbras ;
infami nunc supplicio suspendit, et arctis
faucibus elisos agitanti ventilat aura,
conjugis ut laqueo infelix sub nocte pependit
Andreas, quamquam Italicis rex magnus in oris.
Haec et deteriora ferox Auriga minatur,
cum male felici occumbens radiatur ab astro.
Hac etiam de parte astris fulgentibus Haedi
attollunt caput et caelo spatiantur aperto ;
tum mollis agitant lusus, fusique per herbas
insultant soliis, ac torva fronte minaces
praetentant pugnas : tamen illis mollia cordi,
imbellesque agitat tantum lascivia sensus.
Promittunt igitur duros a fronte Catones
nascentes Haedi ; turpis sed inertia mentem
occupat et molles languent in pectore curae.
Triste supercilium, molli sed degener umbra
est animus luxu languens et deside somno,
frons ficta, obsceni mores petulansque libido,
armorum et deses fuga nobiliumque laborum.
Hinc mortem sibi consciscunt, infamis et umbra
errat Lethaeos non trasmittenda per amnes ;
sic errant miseri manes atque umbra Neronis,
sic Otho, quique in se ferrum strinxere nefandum,
et mille errabunt annos sua corpora circum.
Nec vero non argutis in vallibus Haedos
fistula delectat vacui pastoris in umbra.
Agrestem hinc tenui musam meditatur avena
formosam resonare docens Amaryllida silvas
Tityrus, et siquem Olenio de sidere fratres
nascentem blando calami dignantur honore.
Ut quondam tereti Damon innixus olivae

conjugis indigno queritur deceptus amore,
quosque refert Siculus felici carmine pastor
mulcentis cantu pecudes et arundine silvas,
dum stupet et subitis caput exerit Aetna favillis.
His, cantu commota imoque Arethusa profundo
emergens udaque comam circumdata ab alga,
intexitque apio sertum ac viridante cypero.
Ast aliis malesanus amor nova crimina suasit,
jussit et e proprio dextram foedare cruore.
Substrinxit laqueo collum atque ad limen amatae
Iphis Anaxaretes immania fata peregit,
ac misera ante diem zona crudeliter usa
Phyllis ab intonso pendet Rhodopeia trunco :
tantum mollicies Haedorum et sidera possunt
in scelus. At positi oceano atque cadentibus astris,
Saturnus si forte minax aspexerit, ipso
infelix infans partu morietur, ut aegram
vix ope nixa sua servet Lucina parentem.
Caedetur miser ante aras, et victima cultrum
imbuet, et fuso placabit sanguine divos,
si Mars forte suum praesens vibraverit ensem,
nec Jovis aut Veneris felix eat obvius ignis.
Mox Hyadum chorus Eois emerget ab undis,
fratris Hyae quas perpetuus dolor indidit astris ;
unde illis nisi triste nihil ; non corda quietem,
non animi faciles somnos, non membra soporem
accipiunt, et cura novos parat usque dolores,
quis chorus hic ipso nascentibus astitit ortu.
Hos tumidos populi favor et plaudentia rostra
sollicitant. Serere arma inter plebemque patresque
est amor, et positos rursum instaurare tumultus,
civilesque manus armare et stringere ferrum :
tantum seditio placet, atque haec pascit aventes.
Quid Gracchos tibi commemorem aut civilia bella ?
Non derit populo luctus, forave ipsa quiescent
turbinibus, quotiens urbis moderentur habenas,
quos Hyades passo maestae videre capillo
nascentes. Ipsae oceano capita alta ferentes
dantque locum Tauro, vicinaque tempora miscent.
Inde gregis felix studium, atque armenta sequuntur
errantes ; laetus canit ad mulctralia pastor.
Illos exitium infelix violentaque fata
exspectant : raptos artus, laniataque membra,
avulsumque caput cervici, humerosque, manusque,
brachiaque, excisosque pedes in frustra, femurque,
cordaque, visceraque, atque ipsis cum pectora costis
differt armato plebes excita tumultu,
ut nulla miseri manes claudantur in urna,
nec certum volitet circum levis umbra sepulcrum ;
cum tristes amne Hesperio lavere sorores,
diffusasque comas sitienti et gutture collum
immersere undis, quis aut Mavortius heros
innatet, aut nigri inficiat cum tabe veneni
Saturnus liventi oculo, liventibus urnis.
Post hinc et pecus Olenium et Jovis inclyta nutrix
ipsa suos offert radios, nec longius Haedos

insultare solo patitur sine matre vagantis ;
sollicitae natorum amor ac nova cura recursat,
tum metus, et quae sunt timidae praesagia matri.
Hinc ingens formido et consternantia longe
consilia incursansque tremor per membra, per artus
occupat, et levibus mens ipsa exterrita causis
diffingitque, auditque gravis instare tumultus,
scitaturque novas res et sectatur easdem,
quem tenera Oleniae lactarint ubera Caprae.
Ast obiens et cum hesperio se gurgite tingit,
rustica nascenti dat praedia (rura capellae
namque colunt), dat opes atque ipso in litore partas
naufragiis, procul aut ripis fluvialibus actas.
Illa colit ripas, gaudent et flumina ripis,
religio sed spreta deum violataque templa
infamant aris pollutaque dextera sacris.
Hos Aries secum socios ad munera quondam
naturae ducebat, et una ad signa vocabat,
una etiam egressi castris in bella ruebant.
Post vero caeli ratio flexusque viarum
mutati, variant ortus spatiumque locorum
a dextra levaque, nec uno sidera tractu
vertuntur, semperque aliquid mutatur in annis.
Incerti fines, certus sed volvitur ordo ;
sic variant et fata, manet vis lubrica fati.
Hinc nunc Tyndaridis comes additus aequore tollit
sidereas Auriga rotas, quatit aureus ensem
Orion, praefertque Jovi stellantia nutrix
ubera, et Olenios carissima pignora fratres ;
quin et Carpathio monstro levis adnatat Argo,
suspiratque petitam Euris atque aequore praedam
Phasiaci senis, horrescitque incendia late,
quae Leo deque jubis ferus et de pectore fundit.
Jamque oculis nova lux offert se, nate, videndam.
Fallor, an illa parens magni Cyllenia partus,
nunc sidus, circumque aliae ex Atlante sorores
Pleioneque micant, quas et praestantia formae
et divorum amor et clari decora alta parentis
nobilitant caelo, referuntque in crinibus aurum
miratae viridi quondam splendescere ramo ;
oblectant et adhuc artes, studiumque colendi
oris et antiqui revocantur pectore sensus,
et curae molles, et gratae pocula mensae,
luxusque, illecebraeque, et olentia tempora sertis ?
Hos natis mores referunt, quibus aurea crinem
fibula subnectit, roseo quibus enitet ore
purpura quaesitusque decor, similisque puellae
cultus, et Assyriam redolent lita pectora myrram.
Nirea sic perhibent, et amatum a vate Batillum
pictum oculis fusumque coma roseumque labellis.
Vina placent hilaresque joci et petulantia linguae,
mordacesque sales, intinctaque verba veneno
semper amant, et cura novos exsuscitat ignes,
ac domito regnat victrix in corde libido,
nec minus ambitio tenet et certamen honorum.
Paeniteat generis tamen et se Caenea malint,

aut in femineam penitus transire figuram.
Haec loca custodesque Atlantidas arboris auri
Luna colit ; memor et fulvis pendentia ramis
fulgerent quae poma, quibusque e frondibus ardens
bractea perstreperet roseasque incenderet auras,
exoritur quotiens niveas complexa sorores,
illustris reddit natos, magnosque favore
nobilitat. Cui si felicibus incola montis
Tarpeii ac juga summa tenens Creteidos Idae
ignibus astiterit, mavortia signa secuti
implebunt validas numeroso milite turmas,
multaque felici committent proelia dextra
ductores auro insignes ostroque decori.
Multa mari quoque bella gerent, ac caede rubentem
Nerea spumantisque videbunt sanguine fluctus,
armaque, remigiumque, agitataque transtra per undas,
litoreque impositis statuent monumenta trophaeis.
Felices, si non irato principe tandem
accipiant jugulo gladium aut cervice securim,
umbraque lethaeos fleat indignata per amnis
deseruisse solo lacerum et sine nomine truncum.
Haec eadem exoriens densisque inserta choreis
Pleiadum si Saturni mala vulnera sensit,
ipsa quidem luce exhausta ac vix cornibus extans
(heu sortem miseram et non superabile fatum),
capti oculis lucem in tenebris sine lumine ducent,
ut Thamyrae invideant. Etenim solatia victo
Pierides ; quodque et vinci fuit usque decorum
pastorem a Musis, tamen illi fistula collo
semper adest, Thamyramque greges, Thamyramque sequuntur
pastores, Thamyram silvae collesque resultant,
et, sine qua nullum carmen sonat, Anthida reddunt ;
Anthida, qua non Idaeo sub vertice ad umbram
texuit aut calathos aut serta decentius ulla,
sive aris, sive haec cupido variaret amanti.
Siquis in occasu tristes caeloque cadenti
Pleiades videat, violataque poma querentis
Alcidae clava et spoliatos frugibus hortos,
infestetque malum sidus, radiique nocentes
percutiant, ille Ioniumve navita pontum,
Aegeumve secet, Tyrrheno aut lintea pandat ;
non ille Eridano velum Tiberique per aestum
explicet, aut fluvios remo petat impiger altos,
ne latus affligat scopulo, victusque procellis
naufraget et sparsa moriens tumuletur ab alga.
Sin felix simul infelixque aspexerit astrum,
ille inter cyathos positus pateramque coronans
decumbet leni somno vinoque sepultus,
purpureove toro recubans et virginis arcto
fusus in amplexu dum mollia gaudia carpit,
et venus ex imis stillat resoluta medullis,
illius in roseis linquet sua fata labellis :
et mors ipsa quidem placidae cognata quieti.
Nec vero non et caelo sata semina cernes
picturae variantis opusque, quod extulit olim
Praxiteles tabulisque suis insignis Apelles,

restituitque nova nuper quod Joctius arte,
Joctius illustrans Arnum florentiaque arva.
Nam cui nascenti sese exerit ungula Tauri
purpureo ex oriente, et candida fulxerit illi
Cynthia, Tarpeiusque pater facilisque Dione
addiderint socium conjuncta mente favorem,
hic Venerem nudam ac madidantem rore capillos
exprimet, et veros facibus succenderit ignes ;
hic Thetidem fluctus scindentem aurasque cientem
crinibus, et nunc subductis ex aequore mammis
extantem et sparsis rorantem pectora guttis,
nunc mento tenus intectam referentibus undis
candorem et vitreo fluitantia membra sub amne
pinxerit, ut vivi spirent in imagine sensus,
atque oculos vanae trahat ad spectacula formae :
tantum arte, tantum ingenio digitisque valebit.
At quando hostiles radios de parte nocenti
utraque stella nocens jaculabitur, omnis et inde
concessit favor, hic media gladiator arena
ad pugnam sese instituet felicibus armis,
victricesque manus gladio pugnator et hasta
cladibus in mediis alte exeret, applausuque
spectantis populi victor cava lumina condet,
et, populo plaudente, nigras descendet ad umbras
fulmineus ; trepidi fugient denso agmine manes
armatum et stricta minitantem vulnera dextra.
Haec tibi Pleiades praestent cavaque ungula Tauri.
Hinc Lepus attollens levibus vestigia plantis
Tyndaridas sequitur, celeratque per aethera cursum.
Quo surgente novas veniens in luminis oras,
ille pedum cursu insignis certaverit auris
praevertens ventos, qualis Privernia virgo,
quippe vel intactae segetis per summa volarit
culmina, nec teneras plantis curvarit aristas.
Hic stadio sese exercens, ubi Martius ardor
affulxit, vocet ipse pedum in certamine currus
Oenomai, volucremque vocet Caeneidos axem,
et pretium victor referet, plaudente theatro,
nobilis et disco, et totos quoque flexilis artus,
atque brevi facilis gyro concludere corpus ;
at, cum se socium addiderit Cyllenius heros,
perstringet ludens oculos, ut certa videnti
jam fiant incerta ; modo quod dextra gerebat,
ostentet jam laeva, fuit paulo ante quod aurum,
transeat in liquidum sub eodem corpore plumbum,
stuppa vomat tardum fumum, quae poma rubebant,
effluat et subitus nullo de vulnere sanguis,
in nihilumque abeat digitis quam strinxerat offam,
et mirum ipse suo de gutture ventilet ignes,
qua quondam deus ipse deum fur arte fefellit.
Ille pilam validis impellet viribus, ille
folliculum excusso jaciat per inane lacerto,
brachiaque assiduo quatiat sudantia ludo.
At quotiens Cytherea illum complexa fovebit,
non derit tibi qui saltet per pulpita, quique
mimum agat et molli teneat spectacula cantu,

personam quamcumque volet simulare paratus.
Sin Arcas, quaeque ambrosiam de vertice fundit
aspiciant, faveatque suo Saturnius astro,
ille novas artis sollers tractabit, et ipso
perficiet studio, ut mentem suus approbet usus.
At si liventis radios impegit iniqui
Stella senis fundatque atrum de sidere virus,
infelix qui sponte sua patriamque larisque
deserat, agnatumque solum cineresque parentum
posthabeat, tantumque illi fuga grata, nec ulli
insideant animo sensus aut cura suorum.
Pronus ubi Hesperiam petit et vagus aequora lambit,
quanquam illi faveat felicibus ignibus aether,
non nisi cum magno venient alimenta labore.
Quod si forte minax longe adversabitur astrum,
divulsus rabidi mandetur dentibus ursi,
aut Attaeonio veniet mala praeda Melampo,
aut catulos impasta trahens lea devoret artus.
Haec Leporem nam fata manent, hinc nomen et astro.
Nec vero leporem tantum capreasve fugaces,
aut timidos agitent praeclusa indagine damas,
quis Jugulae inspirent auras et amicus Orion,
Orion dextra jaculum ac venabula gestans,
insignis Balteo et longe radiantibus astris.
Quin ipsis in speluncis, in rupe cavata
excipiant rursum impavidi, et venabula contra
objectent, densisque actum de saltibus aprum
innixi exspectent hastis (it calle silenti
efferus ac fuso spumant virgulta veneno),
nec vasto timeant aut comminus ire leoni.
Venatus juvat audaces, agiturque juventa
in silvis interque canes et retia, nec jam
aut conjux placet, aut thalamis nox acta sub ipsis.
Hos animos magis atque magis Mavortius heros
accendet, rutilo si forte aspexit ab astro,
annuat et placido facilis quoque Jupiter ore.
Haud etiam siqua hoc ipso sub sidere virgo
lucem hausit, dubitet saevarum lustra ferarum
aut ferro petere, aut saltus intrare repostos,
ipsa horrens jaculo Tyriisque ad terga sagittis.
Qualis in Aetolum campis Meleagria virgo
stravit aprum, primamque manu stringente sagittam
intorquens ausa est spumanti occurrere monstro,
mox laeta et spoliis famosa et caede superba ;
qualis et Aethiopum quondam sitientibus arvis
in fulvum regina gregem sese armat, et audet
sola pedes sese irato objectare leoni
insignique arcu et duplici Zenobia telo.
Quin etiam monstra undisoni fluitantia ponti
sollicitent, violare imi et penetralia Nerei
haud timeant, dum ferratis per marmora contis
discursant pelagoque trahunt humentia lina,
aut alta scopuli e specula fixum aere tridentem
expediunt, ferroque gregem et pecuaria Protei
per costas, per terga forant. Fluit aequore foeda
illuvies, imo trepidatur ab usque profundo :

tantum adeo Jugularum ortus per tela cruoremque
in silvis, in speluncis et in aequore saevit,
praesertim si falce senex radiarit ahena
iratus pelago, iratus variantibus undis.
Atque aliquis post multa tamen discrimina, somno
dum fruitur, capit et placidam per membra quietem,
accipiet jugulo gladium, et delatus ad umbras,
Lethaeas umbras rigidum ac Minoa, negabit
auctorem nosse, et certam deposcere poenam
incertae necis. Hoc Martis ferus efficit ignis,
siquando bijuges tenet ad praesepe ligatos,
et Cancri fera trega premens Atlanta fatigat
Oceano approperans. Derit jugulator et omne
telorum genus, ad manes tamen ille sopore
devictus veniet ; sopor illum ad funera ducet,
condet in aeternam languentia lumina noctem,
haec loca si pater Idaeus, si Cypria virgo
insideant, cum caeruleos it Cancer in amnis.
Namque soporiferam pariunt haec signa quietem,
aeternoque premunt mortalia pectora somno.
At cui natali Procyon sese extulit ortu,
ultima cum obversi curvant se brachia Cancri,
non ipse umbrosos saltus indagine cinget,
non canibus timidos aget arcta in retia damas,
spicula sed latoque parat venabula ferro
nodosasque plagas, pedibus quoque vincula nectit
insidians, acremve dolet saevire Melampum,
Umbronemque sequi rapidumque ad septa Lycarban ;
quin Isan catulosque Isae formabit ad artis
humanas, tacitum ad nutum Asteriona vocabit
blanditor, dignum et Musis praestabit alumnum.
Hunc olim Uraniae in gremio Cliusque per ulnas
ludentem persaepe aliae invidere sorores,
exceptumque suis furtim admovere labellis ;
saepe etiam Jovis ante pedes statuere, sinuque
accepit pater, et blando simul ore renidens
demulsitque manu, excivitque procacius iras.
Dum ludit, laetae plausere jocantibus aurae.
Elisiis nunc in campis per opaca vireta
ludit agens, nemorumque acer lascivit in umbra.
Conveniunt animae ad lusum. Ille impiger arctat
huc illuc cursum, hinc notas festinat ad umbras
dente ferus similisque irato et saltibus horrens,
mox blanda lambit lingua atque immurmurat ore
subsiliens, caudamque ciet gratator amicam.
Interea viridem ad pontum ac Sebethida ad undam
delicias misera amissas et luget ademptum
Melpomene ; Asteriona refert nemus, aequora reddunt
clamatum Asteriona, imoque e gurgite nymphae
accurrunt. Hic maesta iterat luctumque modosque
Aonis infelix, iterat chelys aemula cantum
funereum, atque genis plorant Nereides udis.
Ast ubi ad oceanum praeceps ruit Atlanteum
senserit et rabiem Martis, dum lustra ferarum,
dum latebras petit et venabula cornea jactat
incautus, per inerme latus perque ilia dentem

accipiet spumantis apri, tractusque per arva
praeda avibus, praeda ipse feris lanianda jacebit.
Vix conjux, quaeque una illi primisque sub annis
miscuit et curas et certos junxit amores,
vix mater dispersa locis invenerit ossa,
quae mandet terrae lacrimans condatque sepulcro.
Forsitan e morsu rabidi canis actaque venis
dira lues aget in furias illum ora liquenti
admotantem amni, sitientem, undasque petentem.
Excutiens torrem ambustum atque e gurgite Erinnys
jam medio caput attollens fugat horrida, crinemque
anguineum intendit. Revocat sitientia ab undis
ora miser faciem avertens, similisque latranti
dat sese retro et spumas ciet ater ad auras.
Hinc rursum, stimulante siti, convertit ad amnem
approperans, dubiusque gradu atque enectus ab aestu.
Infestans rursum admota face turbat Erinnys
attonitum, ac nigras vocat ex Acheronte sorores ;
donec eum rabie absumptum vis tetra veneni
vicerit, et miseros solvat cum corpore sensus,
quos Procyon Martisque furens incenderit aestus.
Si caelum, nate, aspiciens memor ipse Leonem
agnoscis, quae stella novis micat ignea flammis,
illa quidem Canis est, qua corniger uritur Ammon
Assyriumque latus, cujus de sidere fervet
Aegyptus totoque calent incendia mundo,
cujus et afflatu tellus gravis et gravis aer
corripiunt morbos, passimque cadentibus aegris
strata jacent armenta. Furit vis effera in omnem
continuo gentem, viduat quoque civibus urbes :
usque hominum generi Canis has denuntiat iras.
Sic nascentem aliquem primos inspecta per ortus
incendit flammis, et pectora concitat aestu
ira ingens, dolor atque ingens ingentibus ausis,
ingentesque tument animi ; imperiosa cupido
nil aequum patitur ; fervet sitis arida habendi,
in facinusque vocat violentaque tela ministrat :
non pietas movet, aut amor, aut reverentia divum.
Praesertim si Threicius sese addidit heros
ad facinus subditque faces, incendia vitet
et silvas, dum tela feris immanibus audet
ingerere et fulvo jam comminus ire leoni.
Quod si perniciosa senis substrinxerit ensem
dextra, nec ipsa suos illi subduxerit ignes
Delia, nascetur mediis qui in saltibus ursum
attentet, qui frondosis in vallibus apro
congrediatur, et inclusa decertet arena,
spectantesque trahat pugnaci robore dextrae.
Ast ubi ab occasu rabido adlatraverit ore,
Infelix nato exitium parat, unde ferarum
dente lacer cadet in silvis ursive lupive
praeda, vel audaci pereat laniatus ab umbro,
si Mavors validam aspiciens concusserit hastam.
Insequitur Crater Bacchi decus. Hujus in ortu,
atque ubi caeruleis Virgo caput extulit undis,
autumnus sese accingit, Vindemia cellas

instruit, et gravibus cervicem implexa racemis
ipsa lacus et labra novat, et dolia tergit.
Inde meri genialis amor studiumque bibendi,
hinc patera salit assurgens spumante Falernum,
crateresque auri insignes undante Lyaeo ;
hinc baccho laeti colles, flexaeque sub ulmis
pendula textilibus nectunt umbracula vites,
insitioque alios aliaque ex arbore ramos
admiscens studiosa novum per germen adoptat,
insitio fecunda novasque ingressa per artes.
Hinc et nexilibus videas e frondibus hortos
implexos late muros et moenia circum
porrigere, et latis e ramis surgere turres,
deflexam et myrtum in puppis atque aerea rostra,
in buxisque undare fretum atque e rore rudentes.
Parte alia frondere suis tentoria castris,
scutaque, spiculaque, et jaculantia citria vallos.
Nec minus irriguos fontis per opaca vireta
instrepere, et ductos non una in brachia rivos,
et properare cavis operosa canalibus undam
saxa per et liquidos stillantia marmora fluctus,
piscosas quoque sub tectis fluitare lacunas.
Quin etiam arvorum cultus et cura serendi
hos juvat, atque agri studium non segne novandi,
horreaque annosae cereris. Juvat humida mercis
mutandae species stagno seu vecta liquenti,
quamve paludosis tellus alit humida campis.
Haec Crater, quibus affuerit nascentibus, affert,
qui tibi, nate, tuo aspirans non defuit ortu.
At serus caelo occiduo ac refluentibus undis
Oceani facilem laeta inter pocula mortem
afferet, ac subito turbabit funere mensas.
Defunctum lugent convivae. Ast ille, nigrantem
ingressus cymbam ac sitientia labra relambens,
suspirat bacchum atque undae Lenaeidos amnem.
Cui si stella nocens inviderit, humida fata
portendit, seu Lenaeo sub gurgite, sive
flumine sub vitreo calidove in fonte lavantem,
sive cavo putei gradientem absorbet hiatu,
caerula seu versis findentem marmora tonsis.
Euge, pater Lenaee, evan. Tibi carmina nostra
assurgunt ; monumenta tuae nam conjugis assunt.
Insignitum auro textum ac radiantibus astris
et primo splendet caelo memorabile donum,
quod dea tum rore Idalio ambrosiaeque liquore
sparserat, et Cypria madefactum intinxerat unda,
tum flore ornarat vario, intactumque hyacinthum
miscuerat violamque rosae casiamque amarantho.
Hinc natis studium tenerorum mansit odorum ;
conficiunt unguenta et florea serta coronant.
Mundities indigna viro comptusque puellae
persimilis, quaeque et Veneris molle imperat astrum.
Inde etiam occultus sub pectore pascitur ignis
in vetitumque ruunt et Amor nova vincula nectit.
Quocirca, nate, ardentis compesce furores,
et leges meditare, et honesti concipe formam.

Hic finis vitae felix, haec meta petatur.
Mergentem sese oceano quicumque Coronam
viderit, ipse oriens, primo sub flore juventae
occidet expositusque feris, damnante senatu,
pro tumulo faucesve canum aut rabida ora leonum
accipient, tumulo Saturnus condet ubi ipse
insedit loca, seu gravibus mala sidera signis
adversos jaciant radios et fata minentur.
Adversos mores et pectora dura per ortum
spica dabit, frumenta seret, grave figet aratrum,
mella favis expressa liquet, nihil usque remittens
ad vitae varios usus. Maria alta secabit
piscator, nunc casse cibum, nunc comparat hamo.
Dat varios animis aestus, et pectora turbat
occasum dum Spica petit, dat et usque labores,
cui falcem si forte senex subjecit ahenam
iratus, miseramque famem illuviemque minatur.
At Mavors furti damnat, poculoque reposcens
annonam, dictis et poena crimen acerbat.
Illi nil Arcas, nil proderit aurea Virgo,
quamvis Spica manum gravibus fecundet aristis,
porrigat et plenas felix Pometia lances,
quin pendat sacrum laniato corpore furtum,
et, populo spectante, lacer det sanguine poenas.
Non Teucrum Paridemve arcus, non Hectora telum
stringentem, non Idaeum sub nube columbam
figentem aut Lyciae jaculum mirabere dextrae,
si, caelum aspiciens, oculo intueare Sagittam ;
has etenim natis vires, haec dona ministrat ;
exercens usus probat et mox vertit in artem.
Ille igitur jaculo insignis celerique sagitta
continget positum quocumque in limite signum,
ille etiam speculantem alta de turre columbam
dejicit aeriae contorto verbere fundae,
squamosumque petit certo sub vulnere piscem,
cui favet Eoo surgens de parte Sagitta,
extremo Aegoceros cum se celer aequore tollit.
Ille autem stragemque inter caedemque virorum
deficiens cadet, ante actis ex hoste trophaeis,
vulneribusque suis illata et caede superbus,
quem procul occidua vidit de parte Sagitta,
ipsa quidem radiis percussa nocentibus aeque,
aeque praesidio nitens et fortis amico.
Vendetur miser et foedabit sanguine arenam
indigno pretio, si Mars, si pinniger Arcas
haec loca conjuncta soli ditione tenebunt.
Ast hunc damnatum caveae ad spectacula vulgo
objiciet, gladiique dabit Saturnus ad usum,
si male felici adversans minitabitur astro.
Hoc etiam e caelo Chelisque micantibus Haedus
exilit, et molles nascentibus imprimit artes.
His interque epulas et serta madentia vino,
scortaque et incestos thalamos, unguenta, rosamque
vivitur, et vacuis mulcent proscenia ludis,
deliciae inficiunt animos praecepsque cupido,
consilium incertum ac varians sententia, et ipsa

mens nunquam secura novas parit anxia curas.
Concubitus fuge nocturnos summasque fenestras,
tectorum ingentis lapsus, fossaeque profundum
praecipitisque locos, impostaque rupibus antra,
neu te sollicitent funambula ludicra, neu te
intortis capiant agitata rudentibus arma,
si Tartessiaco minitabitur Haedus ab orbe.
Dicamus bona verba, deos veneremur. An illa est,
quae surgit, quae conspicuis venerabilis astris,
ara deum ? Date thura, facesque adolete Sabaeas.
His genitrix Ariadna locis, hoc sidere lapsa est,
implevitque uterum tenerae leve pondus Elisae :
hinc illi cultusque deum et reverentia casti
et tantus sacrorum honor, atque hinc ipsa per aras
rite precata litat, simul et stata sacra frequentat.
Tu matrem, puer, et castas arcesse sorores ;
thura adsunt, caelum spectate, atque ore favete.
Ara deum, unde est religio mortalibus orta,
unde pium quodcumque et quod venerabile terris,
salve, Ara, salve, innumeris ornata trophaeis,
sive hominum gesta inspicias, seu facta deorum.
Ipsi te reges templis et marmore donant
Mygdonio, tibi purpurea sub veste sacerdos
sacra facit, sedet et Tyrio spectabilis ostro
antistes lituo insignis cultusque tiara
exsolvens vota, et carmen praefatus, ibi omnem
affatur turbam, et, divorum arcana retexens,
justitiamque sequi monet, et non temnere divos.
Te propter casti vates divina per orbem
sparserunt praecepta sacrumque hausere furorem,
per te casta placent, per te plebs templa salutat,
antistesque chori princeps, venerabile nomen
in populis, dat jura deum et nova carmina pandit.
Exoriens haec ipsa tuum facis, Ara, per astrum,
si faveat pater altitonans, si nata tonantis.
Ast obiens, si Saturnus, si bellicus heros
maluerit, tu sacrilegos, tu magna profanos
affligis poena merita et mala crimina purgas ;
adjicis aut templis, aut, voti vincula nectens,
obstringis sacris, sacros aut sedula ritus
ostendis, prohibet quotiens has Jupiter iras.
Meme igitur, dea, me caeli decreta ferentem,
pandentemque deum leges, et carmine vatem
astra recensentem seu tu dux certa viarum
praecede, aut specula residens sullimis in alta
ostendas reliquum caeli, atque haec nomine signa.
Vos, conjux, vos, defessi tria pignora patris,
haec orate eadem divamque in vota vocate,
det mentem studiosam aequi legumque verentem,
detque animum et patrios retinentia pectora mores,
sacraque solennisque deum servantia cultus.
Ecce autem, qua parte ingens se Scorpius offert,
atque aequa plus parte poli sua brachia jactat,
Centaurus gressu incedens se tollit equino,
mistus equo vir, quam natorum pectora formam
artibus et referunt, et equis sua munera jungunt.

His currus et frena juvant, quis flectere in arctum,
quis et equos moderari et aperto immittere campo,
et valeant celeri ad metam exagitare citatu
instantes vocis clamore et verbere dextrae,
ad pugnam sive instructis radiare sub armis.
Quin etiam, si Mars stricto minitabitur ense
bella ciens, bellum exercent, armisque decori
pugnatoris equi costas et terga fatigant,
hostilesque acies aut hasta aut ense lacessunt.
Sin Arcas celer aspiciat, quaesita per artem
auxilia aegroto pecori succumque medentes
admiscent ; ipsi hoc morbos et vulnera curant.
Infelix alto ruet, ac de culmine labens
vix divum auxilium imploret, praecepsve quadriga
excutitur, lacer ipse, ferae aut immanis hiatu,
sive ferocis equi violento vulnere tardus
Lethaeos maerens portus petet, attonitusque
quadrupedes timeat jam (tum) properare citatos,
horreat et saevos minitantia culmina lapsus,
Hesperios quae Centaurus portendit ab orbe
iratus, quotiens saevo adversabitur astro
bellipotens, aut Saturni falx horrida saevit.
At postquam oceano Chiron sese extulit, et jam
antra memor videt et cultos, quos severat, hortos,
Arcturi clarum aspicies super aequora signum
Plaustra bovesque suas agere et se tollere in altum.
Huic signo studium fidei et reverentia honesti
certa subest, hinc illa fides nascentibus haeret,
et veri non fictus amor, generosaque cura ;
hinc illis et opes regum credentur et aera
et Tyriae vestes, auri et pretiosa supellex ;
hinc census patrii a populo custodia et omnis
publica thesauri cura credetur et aeris.
Adstabit foribus custos et ad hostia regum
Janitor, aut trepidos vocet ad mandata Quirites,
percutiant infelicis cum numinis astra.
Oceano se praecipitans Arcturus, ubi ignis
afflarit Tegeus Saturni et noxius ardor,
supplicio infami afficiet, vinctumque catenis,
confectumque prius squalore et carcere tetro.
Proscindit tauro segetem, sua condit aratro
seminaque et toto victum parat anxius anno
Arcturus mundo exoriens. Idem aequora linquens,
exoriensque homini, et primis natalibus astans,
ipse fidem rectumque et honestas edocet artis.
Cur, o cur, superi, tantum sors laeva locorum ?
Cur tantum occasus cladis vehit ? Aequus ab ortis,
Arcturus parat infelici carcere mortem
saevus ab occasu. Surgens vagus aequore Cygnus
insidias avium generi et cava retia tendit,
aucupiumque docet, mollisque inflectere cantus
in caveis, nostras varianti et gutture voces
reddere, et humanam referentia murmura linguam.
Hinc deploratus longe atque ad sidera passer
lusitat in gremio dominae, facilemque Corinnam
psittacus et blandos vatis testatur amores ;

hinc mea non saevit rostro, non ungue columba.
Ast obiens aliena quidem spoliare parentem,
et praedas agitantem hostili carcere damnat,
sive reum furti, fraudisve dolive ministrum
plectit, et austeras praetoris concitat iras.
Si Marsos domitosque anguis et carmina quaeris
Colchidos, et victum somno verbisque draconem,
haec tibi surgenti dat Serpentarius astro,
Aegoceros cum caeruleo caput aequore tollit.
Si quaeras forte Eurydicen per gramina laeta
errantem, atque anguis de vulnere multa gementem,
paulatimque udo claudentem lumina somno,
labentemque artus et tempora nube tegentem,
ac circum anguicomas pavitantem astare sorores,
intortum dum crinem auri de vertice tondent,
Serpentarius hanc obitu signabit iniquo
occumbens, cum triste senis sese objicit astrum.
Baiano si forte procul de litore cernes
delphinum ludentem et terga accurva plicantem,
nunc undis se attollentem, nunc gurgite toto
mergentem sese et cauda maria alta rotantem,
tum dices, referunt natorum pectora mores
delphini exorientis : ubi malus usserit ignis
falciferi senis hunc vitreo sub gurgite nantem,
reptantemque cavis scopulis mirere, et ab imo
vellentem rubros spinosae cautis echinos,
nunc rapidos scindentem aestus et pectore nudo
jactantem in summos rorantia brachia fluctus,
Tauromenitanam nando et superare Charybdim.
Sin Arcas cum Threicio duce faverit, illi
exercent agili sudantia membra petauro,
et cursu certant ventis, perque aequora currunt
navibus, et curva sulcant vada salsa carina.
At cui Atlanteo Delphin condetur ab orbe
Saturnique malum sidus minitabitur, ille,
ille mari ulvosove lacu, seu flumine in alto
mersus in aeternam condet sua lumina noctem,
umbraque nocturno errabit per litora gressu.
Illa, vides, quae, nate, brevi Aegocerontis in ortu
attollit sese pelago et procul aequora linquit,
illa Lyra est. Sentis tremulis ut fluctibus udae
ad numerum saliant Nereides ? Ut tulit aureo
e thalamo formosa pedem Oceaneia conjux
ad plectrum ? Ciet ecce novem cum pectine chordas
emodulans, mulcetque novo vaga sidera cantu.
Quo captae nascentum animae concordia ducunt
pectora, concordisque animos ; sunt civica curae
jura, placent leges ; pacto stant, aequa probantur ;
torquentur sontes et duro crimina nexu
plectuntur ; justumque foro dominatur in ipso.
At si vergentem oceano atque Atlanta prementem
falce Lyram, sive ense minax percusserit astrum,
occidet infami leto, ac praetoria jussa
exspectans tortusque diu tractusque catenis
cum gemitu vitam effundet, forave ipsa cruore
foedabit lacer, aut animam crepitantibus auris

nigrantem fumo atque ambustam torribus atris
efflabit. Flammantem illam fumosque vomentem
portitor horrescet picea traducere cymba.
Paulatim ast illa in scopulo tabescit inani,
atque abit in tenuem cinerem, extinctaque favilla ;
nil reliquum, non forma quidem, non corporis umbra.
Tantum declivi praeceps Lyra saevit ab orbe.
Qua quondam custodem Erebi, ac nigrantia Ditis
atria crudelem et potuit placare tyrannum
Threicius vates, superasque revertere ad auras
conjuge cum cara, et Lethen remeare canendo.
Illum et nigrantes manes turbaeque silentum,
illum etiam heroesque Erebi et regina profundi
attoniti venerantur. Eum Stymphalica monstra,
et Lernae manus, et centumgeminus Ephialtes,
inversansque rotam Ixion, Tityusque, Gigesque
sectantur, positoque assunt ad plectra tumultu.
Felix sorte sua. Sed amor, sed conjugis ardor
frustrantur cantus et vota novissima vatis.
At postquam stetit ad patrii vada fluminis amens,
ac tandem dolor indignata silentia rupit,
prima illi vox : "Eurydice, meaque optima conjux,
Eurydice infelix. Quid enim fata aspera adivi
nescius, immanemque canem per carmina vici
imprudens, qui non animi quoque jussa furentis
pervici ? Meme ferro, me absumite, matres
Threiciae. Quantum heu fuerat, dum limina mundi
ingressus fruerer thalamo complexus amato ?
Cur non et retro redii ? Nigra flumina rursum
tentavi, rursum et manes regemque superbum,
quem mitem inveni, rursum placare paravi
immemor ? Meme ferro, me absumite, matres
Threiciae. Poteram infelix habitare sub umbris
et dici felix, saltem o, saltem umbra fuisset
solamen, mihi per tenebras lux ipsa vaganti
fulxisset, laeta in vulgus mihi plectra moventi
plausisset : noctem, heu, demens luctumque paravi,
aeternam noctem et nullo cum fine dolorem.
Me matres, meme ferro, me absumite, matres
Threiciae. Canerem ad thiasos ; tum culta canenti
astaret, semperque novos hauriret amores,
favissentque mihi manes, interque canendum
applausumque inter vulgi mihi brachia collo
junxisset, teneroque sinu fovisset, et ore
excepissem auras animae indulgentis. Ibi ingens
applausus. Rursum ipse novos per carmen amores
ordirer, totoque Erebo mea verba sonarent,
mulcerem et veteres heroum carmine poenas.
Meme igitur, meme ferro, me absumite, matres
Threiciae, caput atque humeris avellite nostris,
et linguam Eurydicen clamantem ac voce petentem
Eurydicen vehat Aegeas vagus Hebrus ad undas."

# LIBER IV

U_4

Ante aram statue heroi, floremque recentem
sparge super, nec parce arabo redolentia costo
fundere dona manu cypriosque inferre liquores
(his heros gaudet donis), laurique vagantem
per nemus hac solitam in sedem mercede vocabis.
En strepitant myrteta : Syros, age, nate, liquores
instaura, crepitentque novis altaria flammis.
Ter circum, nate, ora tegens (vetat umbra videri),
ter circum plena manes venerator acerra ;
mox supplex tumulo assistens sic voce precare :
"Magne parens, cui Calliope admodulata canenti
ipsa chori decus et princeps nova carmina dictat,
ipsa suo ferit ungue lyram moderataque plectrum
et raros meditata modos, cui serta Napaeae
intexunt, Dryadesque agitant per prata choreas,
cui Phoebus lauro densum nemus, aemula myrto
disposuit Cytherea, suos cui semper odores
dant violae et toto spirat rosa fertilis anno,
salve Pieridum, vates, decus. O mihi si quis
colle sub hoc variam per rara foramina buxum
det Corydon, videat spreto Sebethidos amne
Naiadas, videat, deserto Gauridis antro
rupis, Hamadryades choreas celebrare virenti
Pausilypi in saltu Antinianaeisque rosetis,
et casto flores legere ac variare Maroni.
Ipse merum niveoque tenens spumantia lacte
cymbia, placabo manes umbramque silentem
et tumulo condam, et tumulo sua munera fundam ;
et mea Pegasides venient ad sacra vocatae,
Pegasides comptae sertis et crinibus aureis,
et quibus Eoae radiant per cingula gemmae.
Jamque lyrae tenuem strepitum, jam pectinis auram
accipio ; ridet nymphis venientibus aer,
arrident silvae, et dulci flat odore recessus :
omine quo felix opus et nova carmina surgant,
et caelo spatiemur, et orsa immensa sequamur."
Jam sol Hesperidum silvas Erythraeaque arva
condidit, occiduoque dies se mersat Olympo ;
Nox caelum tenet et fuscis juga versat habenis.
Nate, vides primo surgentem Cephea caelo,
quaque Aries caput et Piscis caudam aequore tollit ;
regales illum vestes rutilantiaque auro
sceptra docent regem, ac genti imperitasse subactae.
Inde venit nato frontis sua ruga severae,
et dura imperia, et vultu mens aspera duro,
nec ficti mores ; qualem se Porcius olim
Romanoque foro et rostris popularibus egit ;
aut siquem nec vana juvant, juvat horrida virtus,
contemptorque animus, munitaque pectora recto,
et Manlii jussa et Bruti irrevocabile pectus.
Nec vero non et reges scelera improba lege
detestata notant. Igitur facta impia voce

et tragico exclamant per pulpita nota cothurno :
aversos solis currus, et prandia fratrum,
Tereaque absumpti revomentem viscera nati,
incoctumque senem flammis, et Phasida nubes
scindentem caeli, et rutilos per inane dracones,
textaque, Herculeamque pyram, et Priameia regna,
atque enses, Phoenissa, tuos, flammamque Creusae,
si quibus Eoo nascentibus astitit ortu
Cepheus, arridetque Venus, Cylleniaque astra
adjiciunt radios et candida lumina praestant.
Hinc acer Venusinus amaro sublita felle
verba jacit risu intingens, hinc rugat Aquinas
triste supercilium vomit et de pectore bilem,
cum videt archetypos pluteum servare Cleantas ;
nec non et juvenis mordax sale tinctus Etrusco
insequiturque hominum curas et gaudia vulgi
accurvasque in terram animas caelestium inanes ;
forsitan et populi mores describet et artes
liberiore joco ludens, risumque movebit
per scaenam, atque humili figet vestigia socco
personam simulans, teget et sub melle venenum,
spiculaque in salibus tinget derisor amaris.
Sic olim lusit senior, quem numine dextro
Pierides fovere, sacro cui lenis ab antro
Clitumnus certaque Aon fudisse liquores,
quem Romana suum veneratur lingua parentem,
ridentemque hominum mores et crimina et artes.
Haec Cepheus dabit exoriens. Sed, Atlantide ab unda
occumbens, fatum in scopulis crudele minatur,
aut primo saevus nascentem exstinguit in ortu,
aut unco incaestum trahit atque eviscerat artus
dilanians : miseranda quidem mors ipsa videnti.
Hinc ales Jovis et Phrygiae timor unicus Idae
praepetibus pennis caelo se credit aperto
venatrix, praedam et rostro meditatur adunco
alituum regina, et acutos exerit ungues.
Inde feras cursu exagitant silvisque fatigant
raptores, gaudent frenis domitare coactas,
et juvat hostili ferrum aspersisse cruore ;
Bella placent et praeda subacto ex hoste petita,
et spoliis vitam et violenta agitare rapina ;
nec dubitent etiam armatos incurrere in hostis
nudi armis, mortemque velint pro laude pacisci :
tantum animi feret Idaeus nascentibus ales.
Cui si felicis radios Jovis addidit ignis,
hi patriam decorent armis et ab hoste tuantur
victores, et opima Jovi in Capitolia figent,
auratumque bovem statuent, actoque triumpho
ornabuntque domum exuviis et templa trophaeis.
Sin Mavors, aut Saturni attestabitur astrum,
arma quidem pharetraeque placent, et fortibus ausis
laus aderit. Tamen aeratas ad signa tribuni
sub duce disponent turmas, aliena sequentes
auspicia, aut regum imperiis data jussa capessent ;
namque Jovi sacer accipiter sua tela ministrat.
At cum se oceano immersat, mersabit et undis

nascentem, fontisque suos sua flumina verset
Tros puer, et toto laticem diffundet ab amne ;
usque adeo occumbens saevit Jovis impiger ales,
assuetusque aurae pontum indignatur et undas.
Ecce autem nova lux caelo se fundit aperto,
cum se Aries, cum se Taurus super aequora tollit.
Collucent auro flammae, micat aureus aether,
bracteaque ipsa suo se ventilat aurea gyro
instrepitans. Lectas Eoo in litore conchas,
florere arboribus video atque inolescere gemmas
per ramos, purumque excoctis montibus aurum
in rivos fluere, ac tenui mox forcipe ductum
mollitumque manu et fuso leviore rotatum
regia textilibus percurrere tegmina filis,
quae dea nunc radio per serica vellera miscet
intexens, nunc pingit acu, variatque colores
alternans : nitet aurato nova purpura textu.
Ipsa, sedens solio insigni stellisque corusco,
seligit aut gemmas terra Gangetide vectas,
aut baccas forat in sertis, pingitve monile
multa docens. Nymphae instantis praecepta magistrae
dextra obeunt, tacito et studio data fila ministrant.
Salve, Cassiope ; nam te quoque sidera caelo
illustrant, caelique venis decus ipsa puellis ;
ornatus tu, diva, novos et serica templis
dona paras, solioque deos veneraris eburno ;
tu regum intexis trabeas, tua munera pictae
palmatae, sceptrumque auro gemmisque decorum,
baccatumque monile, sacerque in fronte tiaras.
Nec tibi non Hebe, tibi non chorus omnis amantum
assurgit, comptusque tuos tua dona requirit,
distinctas auro vestis et cingula bullis
aspra suis, cultaeque comae crinale decorum,
chrysolithon digito insignem atque in fronte smaragdum.
Imprimis matura viro florente juventa
nupta tuos laeta exspectans deposcit honores,
illusam baccis chlamydem illustremque coronam
caeruleo fulgore et purpureis hyacinthis,
ardet et in mediis quae pendula gemma papillis.
Ipsa manu ligat ad frontem studiosa capillos,
et suspendit acu tenui velamine vittam ;
illa volat, volitansque leves exsuscitat auras ;
ora nitent, ebur extersis in dentibus albet,
purpuraque in roseis effulget grata labellis,
perque genas lascivit Amor, qui, spicula torquens
incensum ferus ex oculis jaculatus et ignem,
vulnerat incautum insidians uritque maritum :
gaudia tum tacito volvit sub pectore virgo.
Qualis ad Eridani ripas fluvialibus herbis
stella novas agitat choreas : ruit excita pubes
ex agris mirata deam, ruit accola Mincii
Hadriacique sinus heros omnisque juventus
Aemiliae, spumant nymphis properantibus amnes,
non Satyris sunt arva satis, non prata Napaeis,
spectantum studiis desunt loca. Mater amorum
praecedit, molles virgo fert sedula gressus,

dextra Amor, a laeva Charites comitantur. At illa
ridet laeta dolosque oculis meditatur, et ignem
huc illuc jacit : uruntur juvenesque senesque,
deficiunt Satyri exanimes, ipso aestuat amne
Eridanus, tremulae ludunt per caerula flammae.
At vates nymphae carus sua pectore versat
gaudia sub tacito, atque immoto lumine perstat,
deliciasque animo repetens, memor ipse futuras,
invideat nec semideis et temnat amantes.
Exoriens haec Cassiope dat munera natis
ex auro gemmisque intertextisque figuris.
Atque utinam nunquam oceani se tinguat in amne
occumbens, nunquam telo, nunquam ense minetur
aut e praecipiti fatum crudele ruina,
esset nec caelo spectatior altera virgo,
nec quae plura suo peperisset commoda cultu.
At contra trux Andromede nova funera et atram
molitur mortem, ac saevis cruciatibus instans
supplicia exquirit ; neque enim aut lamenta parentum
conjugis aut moveant lacrimae, aut data munera flectant.
Mors illi pretium, et tormenta immania curae,
vinclaque carcerque et nodoso ex aere catenae.
Vindictam dea pro scopulis, quibus ipsa pependit,
deposcens, studia haec nascentibus improba monstrat,
carnificesque manus et acutam in colla securim,
divellitque artus truncos, et viscera mandit
saeva impasta fame ; vel cum minus improba saevit,
praeficit effossis gravida e tellure metallis.
Hos mores dabit exoriens Nepheleius, ut se
exerit e pelago, quadrupes, properatque citatum
Taurus et ipse gradum attollens ; sed Atlantide ab unda
saevior objicietque feris et, corpora truncis
affigens, animam extremis cruciatibus aufert.
Perpetuis etiam vinclis et carcere tetro
damnabit, si forte minax hinc inde benignum
stet sidus, dubio certans utrinque favore.
Hanc olim scopulo affixam et crudelia ponti
horrentem monstra, ac sine spe auxilioque parentum,
undoso erumpens pelago atque fluctibus imis
se tollens, laniare immani gutture pergit
bellua adacta fame, jussisque impulsa deorum.
Ter monstrum caput erecta cervice tetendit
huc illuc volvens oculos, ter pandit hiatum
immanem, terque et rictus, ter gutturis antrum
undivomum, spumantque rotati e pectore fluctus.
Hinc sinuosum undis pelagus secat ; aestuat aequor
fulmineo caudae tractu, spumantiaque acto
proscindens utero impellit rapida agmina aquarum ;
litora planguntur fluctu, et vagus intonat aer,
ac nigro circum horrescunt maria undique nimbo.
Illa ut primum oculis hausit venientia monstra,
tantum non extincta metu ; tamen ultima corde
haec agitans, vix ad vacuas ea protulit auras :
"Unde mihi, si me duri exposuere parentes,
auxilium deserta petam ? Mihi terra negatur
praesidiumque hominum : saevit vis effera ponti,

armaturque in me pelagi deus, ultimaque assunt
supplicia, et jam viva novo decreta sepulcro,
atque utinam defleta prius. Vos o precor, aurae
(namque hominum solitae ad superos deferre querelas),
accipite haec, poenam miseratae et virginis annos,
ac deferte Jovi. O si quae Jovis inclyta proles
haec adeat loca, atque utinam ferus ille Medusae
huc assit domitor, quem fama est, Gorgone caesa,
raptantem spolia et caput ostentare sororum,
Palladis auxilio fretum ac tectum aegidos armis."
Vix haec, quamquam plura parat. Ruit aequore monstrum,
impulsuque gravi litus tremit, assonat aether,
vicinaeque fremunt valles. Illi inter obortae
sunt oculis tenebrae atque ipsi sine sensibus artus.
Forte oram pelagi observans Danaeius heros,
qua quondam fama Inachiam tranasse juvencam,
advertit sese ut ponto raptabat ab alto
bellua, prospiciensque actos ad litora fluctus
tanta mole, ruit praeceps, et litore curvo
saxa petit, qua se cursu trahit illa citato ;
vidit ut exesa pendentem in rupe puellam
exanimem jam et singultu fera fata trahentem,
obstupuit visu, et sua mox conversus ad arma,
non jam ensem, neque enim ense opus. Illa ut candida vidit
pectora, subriguit faucem ac fera guttura pandit
spumescens. Ast Acrisio satus intulit actam
faucibus in mediis pinum, quae forte jacebat
litore trunca, maris quondam jactata procellis,
quantam vix paria hirta boum centena tulissent.
Ejectam rictu antennam curvamine caudae
sustulit, intorsitque inimicum in Persea pistris.
Declinat venientem heros, rursusque receptam
injicit in monstri latus. At fera bellua tergum
obvertens telum effugit, caudaque rotatum
infregit scopulo, dura quod caute repulsum
herois septem armigeros septenaque equorum
corpora prostravit trunco, galeaeque superbum
verrit humi conum, et lateri saevum abripit ensem.
Tum furiis acta in scopulum se gurgite tollit
dira lues, rostro infrendens et faucibus hiscens,
quadrupedum tabo atque hominum rabida ora cruentat.
Astitit attonito juveni dea, vimque ministrans
consilio juvat. Hic scopulo, qui forte revulsa
caute jacet, dextra objecto bipatentia condit
ora ferae ; tamen illa diu multumque reluctans
rejicit ore super, vacuasque eructat in auras.
Inde ruens scopulo scopulus conflixit, ut omne
intonet et litus, vicinaque saxa resultent,
extimeatque imo Nereus stupefactus in antro.
Nil ultra cunctandum heros ratus, aptat habendam
Aegida subnectitque humero, atque ita fertur in hostem.
Colligit in guttur sese fera, mox et in ipsum
Acrisioniaden hiscens ruit. Advocat ille
Palladis auxilium, clipeoque intectus aheno
stat nitens et tela ferox horrentia quassat,
siqua forte viam lateri invenit. Illa repente

obvertit sese in nymphen. Sed fervidus heros
antevenit, stetit et medius nymphaeque feraeque,
Aegidaque objiciens caput anguineosque Medusae
praetendit crines : sparsit coma tetra venenum
per fauces, tumuere ferae tum guttura. At ille
perstringitque oculos umbone, atque agmine denso
serpentum implicitans, pulsat cava tempora adacto
impavidus clipeo, ac mox lumine lumina condit.
Obriguit monstrum obtutu, ducitque repente
horrentis molem scopuli, atque e corpore tanto
stat rupes olim aequoreis pulsanda procellis.
Sacra Jovi nataeque Jovis parat orgia Perseus.
Virginis hinc teneris exsolvit vincula plantis,
exanimem prius effatus : "Me, candida virgo,
(pone metum) deus haec tibi demere vincula jussit ;
Jupiter est genitor, fert et sua nomina Perseus."
Illa diu cunctata silet ; sed, nomine Persei
audito, paulatim oculos ad verba loquentis
sustulit, et tacitus vigor ad praecordia serpit ;
quale sub aestivum solem, sitientibus herbis,
languescit moriens florum decus, acta repente
it caelo pluvia et largi de nubibus imbres
irrorant, redit ille vigor, redit ille colorum
mollis honos, spirant revocatis floribus arva,
et laetae cultis violae renovantur in hortis.
Ergo, ut primum oculis lucem hausit, per freta torquens
Lumina perquirit monstrum. Sed Abantius heros
pro monstro cautem ostendit. Tum candida virgo
porrexit juveni dextram, calidusque per ima
pectora respirat sanguis, totosque per artus
it tepor et niveos tingit nova purpura vultus.
Subrisit conjux, fixoque in lumine sensu,
scitatur quae causa mali, quove orta parente.
Nympha subit : "Non ulla, heros, mea culpa. Dearum
ira mihi, formaeque parens sibi conscia damno est,
ausa maris se virginibus praeferre, suumque
ostentans decus aequoreas armare sorores.
Hinc Nereus furit, hinc saevarum rector aquarum
Oceanus monstra ex imo ciet horrida fundo,
quae natam poenae exposcant ; nec te, impie Cepheu,
movit amor." Silet hic lacrimis miseranda coortis.
Concipit his flammam juvenis, mox talibus infit :
"Abstineas lacrimis, o jam mea, nec tibi mater
flenda ferusve parens, aut ira inimica dearum,
digna Jovis nurus et felix jam conjuge Perseo ; "
injecitque manum collo ac sua gaudia pandit.
Illi perque oculos furtim perque ora cucurrit
aura recens, quae sensum animi, quae gaudia mentis
explicet, et toto depellat tristia corde ;
qualis ubi deprensa dies sub nube maligna,
dum squalet caelum et nigra sol conditur umbra,
exsurgens lato oceano aut e montibus altis
aura movens, fugat et tenebras et nubila late
diffundit, redit ecce polo lux ipsa sereno.
Concinuit thalamos felix Hymenaeos, et arae
Corycios oluere crocos. Ruit undique ab ipso

Niloque Indoque ad taedas festina juventus,
Perseaque Andromedenque sonant et litora et amnes,
et Cassi juga, et ipsa Arabum non hospita saxa,
pulsatumque nemus serum, rupesque Promethei.
Ergo conjugium optatum dulcisque hymenaeos
concordemque torum atque unos coluere penatis,
imperiumque una sceptro tenuere superbo,
atque hinc translati ad superos fulgentibus astris
irradiant. Memor haec poenae fera vincula semper,
semper torturas agitat ; crudelia Perseus
funera ; sunt enses illi, sunt vulnera curae,
Gorgonei capitis semperque insignia praefert.
Quo surgente, aliquis veniens in luminis auras
si Phoebus quoque Gorgoneo sese extulit ortu,
si Mavors telo infelix rutilante lacessat,
quo sol, aut quo luna loco, dominumque locorum,
nec felix stella occurset, caelove cadenti
sese agat occasum versus regione secunda,
huic caput avulsum collo violenta bipennis
auferet, ut media truncus spectetur arena ;
aut etiam excisis manibus pedibusve queretur
crudelis Geminos, crudelia sidera Pisces ;
vulnere seu crudo illacrimans et corpore toto
saucius, incuset Phoebum Dictynniaque arma,
si media caeli e specula lunaverit arcum :
usque adeo Inachides in nostra pericula saevit.
Nec vero monumenta hominum intestata reliquit
Jupiter, at caelo illustrans vestigia famae,
virtutisque aperire viam ad nova nomina jussit.
Pegasus hinc caelo micat. Hic exordia fonti
clara dedit, de quo sacros fudere liquores
Pierides, quibus ora pii sitientia vates
admorunt, potusque sacer liquor Hippocrenes
implevit mentes Musis et Apolline dignas.
Tum famae quaesitus honos, sua reddita famae
praemia, Pieridum decus et Daphneia laurus.
Post autem emeritos, caelo exposcente, labores
Pegasus effulget stellis ; tamen ipse, laborum
ac famae memor, assuetas in pectore curas
nascentum ingeminat, quibus arma levesque sequantur
quadrijuges, versentque agiles in pulvere currus,
nunc hostem insectentur equis, nunc hostica castra
explorent, dubiisque locum speculentur in agris.
Nec vero pedibus tantum, sed et acribus alis
Pegasus insiliit campo et sese intulit auris.
Hinc his ingenium velox et rebus agendis
dexteritas ac cura vigil ; tum notior usus
herbarum medicaeque artis, quis aegra ferarum
corpora, quis hominum morbos et vulnera curent,
quandoquidem assuetus pratis, assuetus et herbis
illarum studia ingenerat, nec inutile succi
praesidium meditans et opem mortalibus aegris,
quorum opera illatus caelo inter sidera fulget
exoriens, cum Piscis aquis ruit, aureaque hudo
vellere per summos effert se bellua fluctus.
At contra oceani praeceps delapsus in undam,

Oceani senis undam atque antra liquentia Nerei,
excutit aut curru lacerum, aut e calce cruentum,
aut dorso ejectum Stygias deturbat ad undas
pallentem et vanos fundentem e pectore questus.
Hunc post exoritur juvenis, quem fessa trahentem
genua vides. Ne, ne Alciden hunc rere. Fugacis
ista viri species fraudumque instructa dolique,
praecepsque in facinus, non ut tela aspera contra,
luce palam, nixa amento jaculetur adacto ;
nocte quidem tenebrisque atra grassatur in umbra
insidians, saevisque inhiat simulata rapinis.
Hos animos curva effigies nascentibus indit,
corporaque extento jactent pendentia fune,
in gyrum cogant artus et cerea membra,
perque enses moveant nudis vestigia plantis,
si Mars et Dictynna suis speculentur ab astris.
Saevus ab occasu ferrum insidiasque minatur,
sin Mavors quoque fulmineam contorserit hastam ;
illos flamma furens ventoque agitata favilla
ustulet, et picei tosto de viscere fumi
agglomerent, serpat succensis ossibus ignis
fervidus atque imis crepitent incendia venis.
Ast ubi caeruleo tingit sese aequore Pistris
occumbens, si tunc hastam quoque Sithonius dux
torserit, externi fugiant vaga flumina Nili
Tyrrhenique maris fluctus et litora Calpes,
ne turpis pascant phocas, armentaque Protei
viscere pasta suo saturent et hiantia condant
guttura, sed rursum Ioniis in fluctibus ipsi
Aegeoque sinu magnoque in gurgite Ponti
venentur vastos foetus maris undique clausos
aggeribus. Quotiens Eoo e litore surgens
Cetus et ipse suo faveat nascentibus ortu,
cernere erit late pelago volitantia lina,
et circum triplici cinctos indagine saltus
aequoreos, monstra inductis trepidantia septis
nec posse aut reperire viam, aut prorumpere claustris.
Ipsi de rate turrigera aut e puppibus altis
ferratis instant hastis, jaciuntque tridentes
pinnigeros. Imo referunt sese icta profundo,
infixosque trahunt squamosa ad tergora contos ;
viribus hinc defecta suis et victa dolore
vulneris, albentes rursum tolluntur in undas,
seminecesque trahunt artus. At nautica pubes
retibus invigilans funes agit, aut fera contis
agmina perturbat ; videasque indagine in una
urgeri armentum vasti aequoris. Ille trucidat
ense ferox, hic sublata secat ossa securi,
hic unco trahit ad litus, praedaque superbus
ingentis media tauros resupinat arena ;
pars laniat cultro insultans et viscera nudat,
in praedamque vocat socium ; pars agmine longo
per remos per transtra levi volat incita saltu,
retiaque inclusasque feras ad litora raptat,
ipsa suis diffisa humeris ; sed lecta juventus
auxilio venit, ac vicino e margine tortis

restibus innitens et vectibus aemula ductis
oceanum secum oceani et vivaria tractat,
et versa pelagi exuviae exponuntur in alga.
Nec mora, cum rapidis in equis vectantur ad urbes
finitimas rostro et caudis minitantia monstra ;
hic latis strata in tabulis suffixave ad uncos
ferratos, duplici horrescunt pendentia dorso,
et squamosa rigent duris ad tergora pinnis ;
urbs ipsa armentum ad Nerei et spolia effera currit,
ac montana ruit longe ad spectacula pubes.
Saepe etiam solem ad rapidum fumosve volucres
suspendunt, sale sicca prius, perque oppida late
exportant. It salsa maris fora per vaga merces
in frustis concisa et lancibus acta repandis.
Forsitan et salis arentes durare lacunas
cura sit, et laticum sensus convertere amaros
in salsum. Medio purgantur litore campi,
strataque arenosis includitur area septis ;
huc sapor ille gravis tristisque inducitur humor.
Inclusus lata cavea et circum aggere septus
paulatim sub sole liquens exsudat, humique
lentescit, donec sitiens rapideque coactus
in salem, variosque hominum concrevit in usus.
Haec Pistris. Sed quo caeli sub sidere natum,
quave poli sub parte Colan rear ? Alta Pelori
saxa virum genuere, aluit quoque Sicilis Aetna,
et puer humanos hausit de matre liquores,
instructusque hominum curis et ab arte magistra.
Sed tamen, ut paulatim aetas tulit, avia montis
nulla petit, nulla ipse feris venabula torquet :
litoribus tantum assistit, Neptuniaque antra
sola placent, solis gaudet piscator arenis.
Saepe pater sinuantem hamos plumboque onerantem
retia, nexilibus mater persaepe sagenis
intentum increpuit dictisque exarsit amaris.
Ille autem irato sese committere ponto
audet, Nereidum et thalamos intrare repostos,
Tritonum penetrare domos Glaucique recessus,
et tentare imi pulsans clausa hostia Nerei.
Saepe illum Galatea, cavo dum prodit ab antro,
mirata est, stupuitque viri per caerula gressum ;
saepe suas Arethusa comas dum siccat, euntem
obstupuit simul et vitreo caput abdidit amne.
Nec vero maris occultos invadere saltus
addubitat, ferro aut latebras violare ferarum
ense canes, ense et tauros, ense horrida cete,
et totas sese ante acies agit unus, et antris
includit. Natat elato per Nerea telo,
Reginoque mari, Sicula et regnator in unda.
Namque etiam quo Scylla cavo fremit abdita in antro,
cui latrant centum ora canum, centum ora luporum
exululant, ferro irrupit. Siluere remisso
ore canes, siluit rabidorum turba luporum
victa metu. Scylla immanis dum pandit hiatus,
perforat hic gladio assurgens cava guttura : ibi illa
in latebras fugit et ponti procul abdita quaerit.

Ingressusque antrum juvenis Catinensis adesa
ossa hominum attritosque artus et pabula cernit
dira canum, truncasque manus et pectora et armos ;
tum puppes videt effractas, divulsaque transtra
saxa super, rostra aerata squalentia truncis.
Et jam tertia lux roseo surgebat ab ortu,
cum juvenis laetus spoliis tantoque labore
summa petit ; summae nanti famulantur et undae,
et pelagus posito praestat se ad jussa tumultu.
Occurrit laeta ad litus Messenia turba,
gratantur matres reduci, innuptaeque puellae
mirantur, stupet effusum per litora vulgus.
Ille suos peragit cursus, aestuque secundo
et portum petit et cursu portum intrat amico.
Victorem pelagi e muris urbs laeta salutat,
praedaque per scopulos strataque exponitur alga ;
alga Colan, litusque Colan, Colan antra sonabant.
Hinc omnem pelago vitam atque in fluctibus egit
Nereidum choreis mixtus, quem caerula Protei
jam norant armenta, vagique per aequora circum
adnabant delphines, et Ionio in toto
mulcebat vario Tritonum buccina cantu.
Saepe etiam mediis sub fluctibus alta secantem
obstupuere virum nautae, quibus ipse, reposto
mox scopulo madidum exsiccans sub sole capillum,
horrentem caeco signat sub marmore cautem,
declinent qua arte et cumulos variantis arenae ;
quin etiam maris occultos instare tumultus,
incumbant quibus aut caeli de partibus Euri,
quaque die cogant atro se turbine nubes,
immineantque hiemes pelago, et nox horreat umbra,
Neptunnique minas inceptaque tristia monstrat.
Hinc illi vela in portum expediuntque rudentes,
ac juveni ingentem baccho cratera coronant.
Ille autem, gratam ut cepit per membra quietem
stratus humi, pelagoque atrox desaevit et Auster,
non mora, spumantem in laticem se dejicit alto
e saxo relegens pontum, vadaque invia tentat.
Sola illi intacta et fatum exitiale Charybdis ;
hanc timet, huic ausus numquam contendere monstro.
Forte diem sollemnem urbi Federicus agebat,
et promissa aderant celeris spectacula cymbae ;
victori meritum chlamys ac super aurea torquis.
Hinc certant, quibus est et vis et gloria nandi :
praemia caelatus crater atque insuber ensis.
Ingentem tum rex pateram capit atque ita fatur :
"Victorem maris ista Colan manet" et jacit illam
in pontum, qua saepe ferox latrare Charybdis
assuevit, cum caeruleo sese extulit antro.
Insonuere undae jactu, ac lux candida fulsit
sole repercussa et flammis radiantis aheni.
Cunctatur juvenis fatoque exterritus haeret.
At rex, ni pateram ex imo ferat ille profundo,
vinciri jubet astututum, expediuntque catenas.
"Vincant fata, inquit, fato et rex durior ; haud me
degenerem aspiciet tellus mea" seque sub undas

demisit. Quantumque acer per inane columbam
delapsus caelo accipiter sequiturque feritque,
jamque alis, jamque ungue petens, tantum ille rotatam
per fluctus, per saxa secans, imum usque profundum
sectatur pateram, atque illam tenet impiger. Ecce
de latebris fera proripiens latrantia contra
objecit rabida ora canem, quibus ille nitentem
pro clipeo objecit pateram, seque ense tuetur.
Dumque aciem huc illuc ferri jacit, et micat acer
perque lupos perque ora canum versatus, et agmen
datque locum rursusque locum tenet, ilia monstri
incumbens telo strinxit. Dedit icta fragorem
alta cutis ; squama horrisonas natat acta per undas.
Stridorem hic illa ingentem de faucibus imis
sustulit, infremuit quo aequor, cava rupibus Aetna
assultat, tremit aeratis sub postibus antrum
Vulcani, Siculae nutant cum moenibus urbes,
horrescitque novos procul Ausonis ora tumultus.
Tum caudam explicitans totoque illata Charybdis
corpore, ter pavidum assultu, ter verbere torto
excussitque solo, caudaeque volumine cinctum
illisit tandem scopulo, traxitque sub antrum,
impastosque canes et hiantia guttura pavit.
Ille igitur caelo impulsus, tellure relicta,
in ponto degit vitam, et fatum aequore clausit.
Hactenus haec. Nunc illa, puer, mihi suspice plaustra,
quae numquam oceano tingunt, sed cardine summo
volvuntur, parvoque ferunt sese incita gyro,
ut numquam occasu, numquam rapiantur ab ortu ;
atque illam metire oculis, quae vertice in ipso
tanquam fixa micat noctu, tamen usque vagatur,
observatque polum atque axi vix mobilis haeret,
stella Lycaoniae referens monumenta puellae.
Ursa etenim quondam in silvis erravit, et antris
delituit ; sed victa fame, memor ipsa parentum
saepe domos ac rura petit, commixtaque vaccis
decubuit stabulo et stetit ad fenilia vincta.
Illam pastores, dum pabula nota frequentant,
saepe greges inter duxere ad pascua, et inter
erravit pastos fera nonacrina juvencos.
Sensisset vacua modulantem carmen in umbra
Damonem, vacuam saltu properabat ad umbram,
et tantum immota suspendit arundinis aure,
blanditurque oculis, ac singula verba canentis
observans lambitque manus, sequiturque vocantem ;
gaudet et ipsa sui laudari voce magistri.
Hinc, quibus affulxit nascentibus Arcadis Ursae
sidus et e summo prospexit cardine Virgo,
his captos domitare ursos, immania corda,
his saevum genus indomitos frenare leones
cura sit, et socios canibus conjungere pardos
per nemus, infrenemque manu tractare elephantum,
tum verbis formare, acrem ut tolerare magistrum
assuescat, socium armato dignoscere ab hoste.
Hic illis amor, hoc studium sic imperat astrum
exoriens. At, si occasum declinet ad ipsum,

impastus leo, seu violentis unguibus ursus
dilaniet ; seu victa fame fera dente cruentet,
si grave Threicii minitetur stella tyranni.
Quid, qui per geminas Anguis convertitur Arctos
et trahit ingenti sinuosa volumina cauda ?
Hic Marsos dabit exoriens, qui vulnera cantu,
qui sanent morsus, nigro qui sorte veneno,
unguine Paeonio et succis medicentur et herbis,
qui ferro atque igni, referantque Machaona dextra.
Ast, ubi ad occasum flexu leviore rotatus
in spiram petit Hesperii vada lubrica ponti,
letalis passim morbos et vulnera dente
tabifico meditatur, et atro felle sagittas
intingens miscetque malum per pocula virus,
regalisque epulas tabo inficit, aut boleto
promittit certam dubio sub funere mortem.
Haec Coluber fata occumbens mortalibus addit.
Talibus atque aliis seu declinantia in Austrum,
sive ad Hyperboreum surgunt quae sidera tractum,
exercent hominem fatis, mentesque orientum
sensibus afficiunt variis, variosque agitatus
dant animis, unde et varios formantur ad usus,
estque suum cunctis studium et sua cuique voluptas.
Saepe tamen vis firma animi, resque extera, lexve
alternant fata, aut genio adversatur egestas.
Stat fatum tamen, et fato vis insita perstat.
Nec natura suas unquam infitiabitur artes
in rectum, pravumve vocet ; vestigia servat
usque sua et facilis per munera nota recursat,
siqua forte locum dedit adversata potestas.
Multum opis, obliquo septem quae lumina cursu
labuntur, dant sideribus conjuncta repostis ;
divitias tamen ingentis inopinaque regna
dant ipsa, imperiumque ima de plebe togatis,
et servos solio statuunt sceptrisque decorant ;
sed nec fida manent, certo nec foedere perstant.
Nam quantum caelo tolluntur et ipsa reposto,
quoque loco majore aliquem statuere, magisque
evexere atque ex imo ad convexa tulere,
hoc magis affligunt solo calcantque jacentem,
et miseris statuunt hominum spectacula rebus.
Nunc iterum Jovis ad Zonam bissenaque monstra,
nate, redi, patrisque memor praecepta capesse ;
regia namque etiam regalibus ignibus astra
quattuor e caeli signis regalia jura
exercent. Ardet Libyci ad praecordia monstri
stella ingens, stella auratis circum ignea flammis,
stella Jovis decus egregium et mavortia cura ;
cujus in exortu, seu cum tenet ardua mundi
sidera, curvato sese illi junxerit arcu
silvipotens dea, silvicolis dea cognita nymphis,
divitias illi immensas fascesque superbos
fata parant : ille e castris peditemque equitemque
educens bello domitas quassabit et urbes,
et populos late victor ditione tenebit.
Illum etiam ingentemque animis ingentibus orsis

ornabunt regem sceptra, et trabea aurea quondam
insignem dabit et solio illustrabit eburno,
si cui ab hoc ipso nascenti arriserit astro
Delia, et auricomae turgescant cornua fronti.
Bella tamen, bellique aestum, durosque labores,
irarumque graves causas portendet iniqui
stella senis, rutiloque furens Mars saeviet igni,
cum vastum Nemees olim properantibus annis
divertent antrum et spelaea horrenda revisent.
Tunc etenim fraudemque senis, violentaque tela
Threicii juvenis, suspectaque comminus arma
indignans fera, sese in cervicemque jubasque
colligit, obscuroque fremens se proripit antro,
mugituque auras et caelum territat ore
horrificans. Pavet ipse senex ; at ferrea Mavors
objectat scuta et tortam ferus excutit hastam,
seque cava condit galea et saevum exerit ensem.
Fulmineus quatit horrisonis Leo dentibus ora,
et parat assultu jam jam se inferre citato
quadrupedans. Ruit excitum ad spectacula caelum,
assensuque deum vario fremit assonus aether.
Haec eadem adversa e parte atque fluentibus undis,
sidereis undis et fonte liquentis Aquarii,
qua regale nitet villis radiantibus ostrum,
nascenti evenient, ubi Delia culmine summo
aut caelo exoriente suo adstipulabitur ore.
Si quaeras Siculi mores geniumque tyranni,
et regnum crudele, aulamque cruore madentem,
sparsaque per duras hominum praecordia sentis,
Martius horrenti feret haec tibi Scorpius astro
exoriens, seu cum medio dominatur Olympo,
et vicina micat crescenti lumine Phoebe ;
non toto quisquam caelo crudelior ignis
vel saevit face, vel flamma violentius astrum.
Hinc et opes summae, summo et cum jure potestas
insidiis armata et caedibus usa nefandis,
grassatorque animus, et sparsa cruore libido ;
hinc Acragas tremit, et clausus bove mugit aheno
infelix faber, et populis gemit Aetna subactis.
At contra oppositis Tauri de sedibus ardent
felices stellae, non una in parte locatae.
De quarum radiis cum se et sua cornua Phoebe
illustrans medio incedit pulcherrima caelo,
aut thalamos, Aurora, tuos somno excita linquit,
hinc auri venas fluitare Hermumque, Tagumque
undantem, cumulos et opum perque atria verri,
perque aulas fulgere suis aulaea Britannis,
luxuriare dapes mensis, fulvoque metallo
tecta super radiare, ipsis penetralibus hortos
frondentisque umbras aestivum excludere solem,
et videas tabulata novis fulgentia signis ;
hinc populi favor, hinc indulgentissima cura
in populum et data per plebem sua dona viritim,
hinc etiam templa Idaeis innixa columnis
conduntur, splendentque ebore ac testudine postes
aurati, radiantque adytis donaria sacris

Ex auro argentoque et Phidiaco caelatu,
ac fama externas circum vaga labitur oras.
Si cui felicis ortus Latonia dextro
de cornu Bovis atque e sidere fecerit aureo,
aut regale decus medio ostentarit Olympo
Jupiter, et laeto placidus respexerit ore,
illum urbes moderantem, illum maria alta trahentemque
armatas in bella rates, illum arma virique
horrebunt et equis volitantem et signa ferentem,
Italaque imperium tremet hoc sub vindice tellus.
Nec vero reliquis obliqui in partibus orbis
sidera non multa fulgent radiantia luce,
et claro illustrant tenebrosam lumine noctem,
illustrisque viros et facta illustria reddunt.
Nam cui nascenti generoso effulxerit astro
Ellaeus quadrupes, primo dum cardine surgit,
ille potens opibus regum notescet in aula,
et multo terram dives proscindet aratro ;
ille reget populos, et magna potentibus armis
dux geret, et factis famam sibi quaeret ab ipsis.
Decumbens fato placido, insignisque feretro
effertur lacrimas interque atque ultima dona,
si facilis placida annuerit quoque Jupiter ore.
Nec non horrentis Scorpii de tergore fulgens
stella micat late ardenti spectabilis igne,
e cujus radiis et opes et larga supellex
funditur et multo comitata potentia fastu.
Quod si felicis radios Jovis aureus ardor
adjiciat, longe summi cumulentur honores,
et longe primis ornentur fascibus aedes,
primi etiam longe procerum extollentur in aula,
et primi regum soliis loca juncta tenebunt ;
sed mors saeva manet offensi principis ira.
Semiferi quoque tecta senis fulgentibus astris
clara micant, nitet et facibus radiantibus aula.
Hinc illustre virum genus, hinc generosa propago
exsurgit magnisque potens sese asserit actis.
Imperio subiget populos, nova moenia condet,
diruet hostiles urbes, et classe profundum
instructa leget et foedabit sanguine pontum,
strage virum insultans et multa caede superbus,
victricesque manus, terraque marique potenti
imperio reget et, domito tandem hoste, cruentus
occumbet leto insigni atque ante agmina victor,
Tarpeius cui forte pater Chironio ab antro
fulxerit, ac nitidis sese conjunxerit astris
exoriens, placido et moveat sua tempora nutu.
Aegoceros quoque nigranti sub nocte per umbram
illustres effert radios, quis pectora nati
ignescunt, mentique suum tenuatur acumen,
et fortuna domus multa clarescet opum vi.
Cujus in exortu si se Latonia, si se
addiderit socium belli deus, ensifer heros,
nascentur qui caede hominum, qui sanguine fuso
laetentur, quis bella animo et crudelia curae
proelia, sub quorum imperio peditumque equitumque

incedit legio et campis gradietur apertis,
et quos fata manent ipsi quoque debita bello.
Irradiat post sub Phrygii momenta ministri
Stella nitens, quae justum animis rectumque probumque
suadeat, et magnos olim promittat honores,
quae populos late subdat, quae regna merenti
decernat soliique decus sullime superbi ;
si Saturnius hanc radiis pater aspicit aequis,
si nato adjungat vires Saturnus amicas,
et patri proprios et avo Latois honores
conjungens, laeto ostentat sese aurea vultu,
culta comam variisque caput circumdata gemmis,
quaeque soror Phoebi et possit Jove nata videri.
Nec vero non et Veneri sua cura, ducumque,
bellorumque nec arma timet generosa virago,
quae Martem clipeo galeaque adamantideque harpe
instruxit, dum prima Gyges in claustra tonantis
intorsit saxa et ferratum in limina vectem ;
quae face ter jaculo immanem gladioque Ophialten
ambussit, dum mento illi riget horrida barba
illuvie foeda et squalenti emarcida caeno,
quanta nec hirsutis tercentum pendeat hircis,
nidorem incensa et saevam dedit usta mephitim ;
qua somno superi exciti rapido arma tumultu
expediunt ; ciet ardenti Venus agmina torre.
Forte etenim Cytherea toro surrexerat et se
Martis ab amplexu, nocturnis usa tenebris,
surpuerat, roseoque diem properabat ab ortu,
quo furta et longe celaret gaudia noctis.
Prima igitur venientem hostem dea sensit opemque
prima tulit ; sed longe illi laus maxima, quod jam
terribilem galeam tractare atque aere rigentem
coniferam ingentem atque ignes flammasque vomentem
ausa, quod, iratum comitata ad moenia Martem,
ante illum jaculata facem atque e turribus ignes,
nobilis et facie et generosis nobilis ausis.
Ergo ubi candenti sese dea junxerit astro
exoriens, fulget notus quo sidere Piscis,
et Phoebe nitido felix decurrat Olympo,
nascentur, quos religio, quos aequa piumque
oblectent cultusque deum et reverentia casti ;
nascentur, qui classe maris vada caerula verrant,
qui terrarum obeant varios vario ordine tractus.
Illi etiam ingentis animos ingentibus actis
adjungunt, et bella animis ingentibus audent
et pelago et terris gerere, ac fera proelia miscent
victores. Sed Amor media inter tela recursat,
victoremque hominum subigit dea virginis armis.
Atque utinam non regum odiis, non saeva per iram
contingat mors et fato rapiantur iniquo.
Talem olim rapidas Phrygii Simoentis ad undas
Aeneam dea progenuit, quem fortibus armis
insignemque animi juvenem tot adire labores
impulerint et fata novas exquirere sedes.
Hinc humeris patrem, inde deos et sacra ferentem,
jactatumque mari magno Libycosque per aestus

accepit virgo hospitio, junxitque hymenaeos.
Mox fines quaerentem atavum, Thybridisque recessus
intrantem regna excipiunt dotaliaque arva.
Hinc atrox bellum exoritur pro conjuge, certat
hinc Rutulum manus, hinc fulgentibus Arcades armis.
Ac tandem victor potitur regnoque toroque ;
sed fato cadit infelix cava ad antra Numici.
Hunc Libyae quondam errantem per devia mater
tutata est, hunc turbatis Aquilonibus actum
eripuit mediis e fluctibus, hunc et in arcto
bellorum casu, Simois cum et Xanthus et Ilii
sanguine manarent campi, et mare caedibus horrens
scuta virum galeasque et fortia corpora versat,
ipsa enses ac tela inter flexusque rotarum
astitit, et grave pro nato fert saucia vulnus ;
non potuit tamen immitis placare fluenti
crudelis latices praefixaque saxa sub undis :
usque adeo nec fata deum mutare potest vis.
Digrediens haec ante, puer, non dicta docebo ;
tu memori mea verba animo ac sub pectore conde.
Omnia clauduntur caelo, caelum omnia secum
mole sua rapit et celeri vertigine torquet,
immotumque nihil patitur ; tamen intima tellus
stat semper, medium quoniam concessit in orbem ;
Stant axes, quibus super versatur Olympus.
Ipsa quidem oceani circumque intraque sonanti
alluitur tellus fluctu, ac velut insula toto
insurgit ponto, et mediis stans prominet undis ;
quas cursu vaga et alterna sub luce refulgens
luna ciet, luna aestiferos motura tumultus.
Jam terras pontumque una complectitur aer,
huc illuc ventis agitatus, et aequore aperto
raptans imbriferos piceo cum turbine nimbos.
Quicquid enim tellure ima ac rorantibus undis
exhalat, passim huc, sullato corpore, fertur
evectum solisque rotis lunaeque quadriga ;
densatum mox in nubes pluviamque liquescit.
Ipsa autem luna imprimis fluitantibus auris
imperat, et caelo citimos cum torqueat axes
ac spatio breviore rotas agat, usque deorum
consilia explorans et opes et castra, serenos
nunc praefert vultus, rutilo nunc velat amictu,
aut feruginea procedit nubila palla.
Multum etiam quibus in signis digressa feratur
adjuvat, et peragret signi qua parte tyrannus.
Ignea vis pecori Phryxeo et cornibus aureis,
igneus et Libyco vigor est rabiesque Leoni,
candentique senex jaculatur ab igne sagittas
Phillyridos ; nam terrestris vis insita Tauro,
insita virgineae Spicae Aegocerontis et astris ;
nam Geminis placet aer aeriique recessus,
hos puer Idaeus probat, hos Pometia virgo ;
at Cancro fluviorum amor aequoraeque lacunae
permansit, juvat unda, juvant stagnantia claustra ;
Piscibus idem amor est, eadem quoque cura Nepai.
Hinc variant lunae vires, pugnantque vicissim

signa simul, nec certa fides variantibus auris ;
hinc tempestates atque inconstantia caeli,
succeditque Auster Boreae pluviumque sereno,
ac mediis persaepe caloribus horruit aer,
cum grando in solidis percrebruit horrida tectis.
Quin etiam variant solis viresque vicesque,
quod caeli situs et signorum praestitit ordo
obliquans, unde alternant noctesque diesque,
ac tempus circum spatiis se versat iniquis.
Quattuor in partis quamquam diducitur annus,
aequa sed a mediis ducuntur tempora signis,
quis medium luci atque umbris sol dividit orbem ;
praecipiti loca celsa gradu, quaeque ima dehiscunt ;
dum certant inter sese, fugiuntque, fugantque,
nunc nocti cedunt luces, nunc solibus umbrae,
adversisque vagantur equis et frigus et aestas.
Omnia principio properant medioque morantur,
at finis neutrum retinens moderatur utrumque.
Temporis hinc verni quadrupes Nepheleius auctor
it properans, semperque suas festinat ad herbas.
Nec mora, nec requies : manet ad praesepia Taurus,
ver manet, insistit bos indefessus aratro
incumbens operi, incumbit quoque purpureum ver
per silva, per prata, et coepto perstat in ipso.
At Geminis modus est, dum ver declinat, et ardens
procedit caelo indomitis fervoribus aestas.
Hinc Pecori aurato vis mobilis ; at sua Tauro
vis constans, solidum robur stabilisque potestas ;
vis media est Geminis utroque a sidere ducta,
communisque vigor ; quae caetera signa sequuntur,
ordine nexa suo servant hunc certa tenorem.
Nec vero quae signa Austro digressa feruntur
in Boream, non ipsa obliquis curribus ortum
accelerant, raptantque habiles ad frena jugales.
Hinc ortus brevius spatium obliquantibus astris,
hinc properans Aurora rubentibus advolat alis,
ingeminat lux, ingeminant opera atque labores.
At contra quae de Boreae regione recursant
in Libyen, ea declivi properantia cursu
Oceano immersant sese, obliquantque sub aequor
Aethiopum ; inde, ubi Gangeos referuntur ad ortus,
insudant clivo, ac sursum recto axe supinis
vix referuntur equis. Subit hinc mora longior aequo,
augenturque ortus spatia et nox crescit in umbra,
decrescit labor, accrescit requiesque soporque.
Ventorum quoque vis variat variantibus astris.
Ignea praecipitem Boream, minitantia claustris
Arctois signa emittunt glaciemque nivemque.
Saepe tamen vicino Aries de tramite Cauros
immistum Zephyro ac Boreae genus evocat antris.
Quis credat, gelidos flatus Jovis excitet astrum ?
Excitet humentis Mars atque Atlantis ab undis ?
Signa etenim maris humectos referentia fluctus,
Oceani occiduos aestus auramque Favonii
sollicitant ; tamen et Libycis procul excita arenis
flabra cient, Zephyro cognata frequenter et Austro.

Hunc prono e caeli tractu atque hiemalibus oris
educit dea, caeruleo quondam edita ponto,
educunt astra auripedi consortia Tauro.
Quin Eurumque Notumque una Capricornus, utrimque
commistum genus, excipit bicoloribus alis ;
ast Eurumque Eurique domos Nabataeaque claustra
Saturnus tenet, et Gangetide regnat in aula ;
nonnumquam solis radiis calefactus et igni,
suscitat horrisonas stridenti Aquilone procellas.
Tu vero terraeque situs et flumina et ipsos
aspice arenosi tractus maris, aspice montes
montibus impositos, et declinantia in imas
convallis loca, et aeriis super indita saxis
oppida. Non idem obtutus posituraque mundi
omnibus est eadem, nec sol vagus omnibus idem,
non similis natura soli, non aeris aura.
Hinc variat caeli vis et natura locorum,
diversaeque vices rerum atque eventa per orbem ;
astrorum quoque dissimiles viresque vicesque
temporaque inconstansque dies, variantibus umbris.
Sidereis nocturna umbris Latonia gaudet,
gaudet nocturnis tenebris Erycina, suumque
illecebris trahit haec nocturna ad gaudia amantem.
Ille, dolo laetus furtisque accommoda captans
otia, per tenebras graditur speculator opacas ;
lucem odit, memor et Vulcania vincula et artes
Phoebeas cavet, et caeca insidiatur in umbra.
At lucem currusque Aurorae et lampada solis
miratus pater altitonans, miratus et ipse
falcitenens deus, occultas odere tenebras,
exsultantque die, gaudentque patentibus auris.
Miretur nigrum Aethiopem crispante capillo
Albis et algenti Germania subdita caelo,
miretur longamque comam candentiaque ora
Germani Nomas et lati niger accola Nili.
Illum sicca siti saevoque exusta calore,
torridaque assiduo vicinia solis ab aestu
urit, et incocto tingit nigra corpora fumo,
contrahit et teretem per adusta foramina crinem ;
huic concreta gelu nivibusque oppressa malignis,
quae regio riget arctois subjecta pruinis,
vicinum e glacie candorem aspergine cana
illinit, et niveum diffundit in ora colorem,
ac multo irrorat madefactum sanguine corpus.
Inde fluit coma longa, et opacant ora capilli ;
hinc variat gens ipsa inter flammamque nivesque,
atque alios referunt alia in regione colores,
quos caeli miscent ignes errantiaque astra ;
hinc Phoeben niveae laetari vellere lanae,
Saturnumque atro rursum squalescere amictu
dixere, ac rutilo Martem exsultare capillo.
Nec tantum color, ora etiam effigiesque virorum
dissimiles inter sese prolisque patrumque,
nec matri sua nata, nec uno e germine creti
assimiles, nec neptis avo, aut soror ipsa sorori :
usque adeo caelique situs et sidera et ipsi

Dii variant ac signa, quibus sua plaustra revolvunt.
Quin variant etiam mores, et pectora sensus
diversos agitant, studia et non una sequuntur.
Hinc animi secreta alto sub pectore condit
consilio gravis, et casus timet usque futuros,
et parcit parto, et provisa negocia differt
cunctator, quoniam Saturni hoc imperat astrum.
Ille fidem, testisque deos, conceptaque verba
posthabet, et rabidos irarum concitat aestus
immitis, promptusque manu, violentus et exlex,
hos mores quoniam Martis ferus indidit ardor.
Ast alium insignemque animi et praestantibus ausis
nobilitat sol, et generoso corde superbum
invitat studio imperii, atque extollit in altum
placantemque aras divum, et pia vota ferentem.
Sunt quos et splendor juvet atque exculta supellex,
ornatusque domi fulgens, laqueariaque aurea,
et Tyriae vestes, villoso et purpura limbo.
Hos populis longe acceptos Latonia luna
commendat, favor hinc et amicae gratia plebis,
ingeniumque habile, et rebus vis apta gerundis.
E stellis mite ingenium et sibi pectora recti
conscia, sunt animi praeclara ad munera nati,
justitiamque colunt, et inest reverentia veri,
et sincerus amor, pensi quoque sedula cura,
nil praeceps ; etenim Jovis hos sic temperat astrum.
Temperat ast alium Veneris nitor ; hinc nitet illi
cultus, et aurato fulgens nova purpura textu ;
luxuriat domus, ac lucos flant tecta Sabaeos,
et passim nitida Charites dominantur in aula.
Scitatur rerum causas et suscitat artis
ignotas sollers, facundaque pectora versat
Mercurius, veterum repetens monumenta virorum ;
dum linguae pretium, dum famae affectat honorem,
ignotum et patitur nihil, et contemnit inertes.
Hos mores nascentum animis errantia septem
sidera dant, sed longe alios immista vicissim.
Ingentes hinc virtutes, ingentia rursum
ducuntur vitia, et nusquam mortalibus unum est,
ipse idem sibi dissimilis juvenisque senexque.
Signa quoque adverso sibi dissidentia nisu
dant varias animorum artis. Nam praedita motu
signa cito celeres sensus agitataque longe
ingenerant studia, et penetrabile mentis acumen,
atque habiles ad laudem animos, civiliaque acta
accendunt ; hos cura deum et sollertia caeli
rimantes rerum causas juvat, his furor ille
faticinus mentes agitat, panditque futura.
At curas animi tacitas frontemque severam,
et pectus grave consiliis rigidumque tenaxque,
judiciumque immotum, et verba sonantia verum
fixa dabunt ; eadem argentique, eadem aemula honorum
fomenta adjiciunt animis. Hinc densa clientum
agmina delectat, hinc et certamine in omni
pervicisse volunt, commentaque pectoris acri
contendunt studio atque opera peragenda tenaci.

Signa bicorporeis rursum variata figuris
instabilis reddunt animos, sensusque vagantis
alternant ; nil certum umquam, variantia corda
insequitur non firma quidem sententia ; verum
mens habilis, resque ad varias versatile pectus.
Hos amor imbellesque lyrae, somnusque, venusque,
otiaque ignavos reddunt, et Salmacis, et fons,
quaeque tegunt nitidum frondosa umbracula fontem.
Quin etiam Leo getulus Nepheleiaque astra,
Haemonio cum heroe sagittiferisque pharetris,
exercentque maris animos, et mascula jura
tutantur, gaudentque die ducibusque diurnis.
Hinc lucis pater, horarum pater, aetherius sol,
Tarpeiaeque arcis custos, qui nubila versat,
ductores aciem hanc violenta in proelia raptant.
Illi ductorumque animos et proelia et artis
imperio assueti referunt, gentemque virosque
his animis, his et studiis, his pectora curis
instituunt. At femineae Cytherea cohorti,
quaeque soporiferis vehitur dea Cynthia bigis
dant signum. Sed nox tacitas juvat, imperioque
utuntur leviore duces, segnisque capessit
jussa phalanx, ferturque animis muliebribus haerens.
Inde suos populis mores animosque ducumque
praescribit leges, decretaque munera sancit.
Hinc legio Geminorum Argivaque robora fratres
ingentis tollunt animos, ingentiaque audent
luce palam tenebras odere atque abdita facta.
Hos animis, hos consiliis, hos pectore et armis
hortantur Latii deus atque Atlantide cretus,
communemque aciem concordi foedere curant,
et scribunt sua jura urbi, plebique, patrique.
Agmen agit quartum belli deus : arma tubaeque
circumstant, Cytherea illi comes haeret ; et alto
quae Cyntho dea fert rigidos venabula in ursos.
Hae Martem comitatae, his agminis altera cura,
nocturnisque dolis in castra inimica feruntur.
Quaenam, quae, rogo, causa, deus ? Mortalia ubi arma
obversans inter rapidas agis ense catervas
impellens, cuneosque virum, feraque agmina equorum,
immanem nunc te tigrim dente, ungue cruentum
cernere erit rutilos foedantem sanguine campos,
nunc latos referentem armos cavaque ora leonum,
ipsam aciem densosque globos, ipsa agmina ferro
sternentem, simul ense equites peditesque metentem ?
At caelo divum ante oculos muliebria sectans
consilia, illarum obsequiis tua munera et artes
bellorum, bellorum artes crepitantiaque arma
ascribis. Quantum illecebrae, quantum aurea possunt
Cypridis ora tuae ? Quantum nox, illaque noctis
gaudia ? Quin etiam in tenebris, in nube maligna
aspirans, Phoebes, thalamis, furtiva per umbras
oscula et attactus tentasti ad pectora molles.
Hinc frater, quem nulla hominum res, nulla deorum
prudentem latet, haec stolido maledicta tyranno
objectare ausus, dictisque adjungere pondus.

Furtis te natum illecebrisque dolisque dearum
castra juvent nocturna et feminei comitatus.
Cede die. Jactantem te et tua facta sonantem
cristato capite, in tenebris, tibi nocte, tibi umbris
plaudentem, spolia e thalamis sine caede parantem
miretur Charitum chorus et Vulcania conjux.
Cede polo, fucosque genarum unguentaque amantis,
i, sequere, atque alium silvis meditator Adonim.

## LIBER V

U_5

Nunc mihi quae virides colles rorantiaque arva,
quae juga gratorum nemorum ac viridantia ripis
flumina, quaeque vagos colitis per devia fontis,
aeriae aspirate aurae, atque favete vocanti,
Tethyos aeternae clarum genus, inclyta solis
progenies, quas Oceani bipatentibus antris
enisa est, decepta dolis et Apollinis arte
dum Tethys miserum totiens excludit amantem.
Namque quiescebat clauso dea nuda sub antro,
cum deus ad postes tacitus rimatur, et omnem
exploratque adytum, fraudemque in pectore versat
igne calens, spectat simul et timet ipse videri ;
mox abit in tenuis radios, rimamque per arctam
ingressus, fruitur thalamo et nova gaudia carpit.
Intumuit dea compressu, atque, absente marito,
celat onus, decimo Oceanus dum sidere Calpen
diffringit, pontum et terris immittit apertis
Victor et extremam pergit tentare Maeotim,
commotus fama et generosae virginis annis ;
prodistisque utero tacitae et latuistis in umbra,
Oceano redeunte. Etenim pater ipse videri
vos vetuit, tenues animas vix sensibus auctas ;
nocte quidem latitare antris, at luce vagari
et pelago et terris, atque aera currere apertum,
solarique aestus hominum, et mulcere laborem,
longarum et voluit curas lenire viarum.
Ergo agite, o mihi cultae aurae, Oceanitides aurae,
et Tethy proles et Apolline dignae parente,
este mihi comites terris pelagoque vaganti,
mecum iter inceptum terite, et spirate canenti.
Vos ego Benaci ad ripam atque ad flumina Mantus
sistam audax. Hic Andiadum selecta sororum
carmina et Aonios laetae excipietis honores,
quos olim memores divum referetis ad aures.
Ipse Meleteum ad fluvium Smyrnetidaque undam
populeo statuam thalamo atque umbrante salicto.
Hic Dryadum teneris juvet indulgere susurris,
cernere et errantis per mollia prata Napaeas ;
hic plectro resonantem aureo, testudine et aurea
Calliopen, caput ad vitrei et cava cornua fontis,

atque amnis veteres referentem carmine curas
et vacet audisse, et vacua repetisse sub umbra.
Namque suo et gelidus arsit quondam igne Meletes,
Pierius dum saepe chorus sese abluit amni
et mersat liquidis argentea corpora lymphis :
concipit hic deus ardentis sub pectore flammas,
maeret, amat, soloque amens tabescit in antro.
Virginibus facies eadem, atque eadem omnibus aetas,
idem habitus, par et vox et variantia cantus,
par amor in cunctas. Unam sequiturque, cupitque ;
una tamen quae sit, dubium, et sententia differt.
Quae Clio fuit est Erato, quaeque ante Thalia
Melpomene est ; errant flammae, furit ardor in una,
illa quidem incerta est ; urit vagus ignis amantem.
E latebris parat insidias, ut nulla dearum
non fuerit tentata : huic oscula rapta per amnem
abstulit ; hanc silvis fugientem aggressus in altis
implicitatque manu cervicem, oneratque lacertis
jam jam, sed durae remorantur brachia sentes ;
illam spelunca in media, aut viridante sub umbra
vitantemque aestus, et curas voce levantem,
ni pastor ruat auxilio clamoribus actus,
comprimat, et primae potiatur flore juventae.
Tandem sive ea Calliope (sic fama putavit),
sive Erato, aut longo decepta Polymnia somno
vim passa est. Tumuere uteri. Ast ubi prodiit infans,
quo factum commune chorus celaret, in altum
it properans Helicona ; Chion mox, hinc Colophonem,
inde Rhodon, repetitque tuos post, Smyrna, recessus,
hinc ad centiforem Nili subit ostia Theben.
Indicat Aegyptus partum. At memor ipse sororum,
et famae memor, et quodvis in crimine tantum est,
Musarum nequis prolem putet, auctor Apollo
eripuit puero lucem et cava lumina condit ;
unde oculis capto nomen permansit Homero,
et patria incerta est, dubioque auctore parentes.
Hunc vos, o mihi cultae aurae, Oceanitides aurae,
implentemque tubas cuneosque in bella vocantem
miratae, Xanthum ad rapidum aut Simoentida ad undam
et sistetis iter, gelido et refovebitis amne.
Ipse sedens viridi in ripa ac variante sub alno
nunc divos, nunc heroas vocet acer in arma,
nunc deses vina et choreas et pocula cantet,
aut Venerem, et blandos recinat lascivus amores,
Vulcanique dolos, et caelo cognita furta,
quaeque olim longo memores repetatis in aevo,
dum placido sermone viam ingratosque labores
et juvat hausisse, et gressus mollisse canendo :
fando etenim levat, et labor et via fallit euntis.
Hoc nos, hoc, nate, auspicium dataque orsa sequamur ;
cantantes iter ingredimur, comitantur et aurae.
Te vero, mihi certa viae dux, inclyta cantu
Uranie, dum longum iter et spatia ardua circum,
dum tantum maris et vastae telluris obimus,
perque locos cultu vacuos squalentiaque arva
erramus (superanda etenim juga frigida Tauri,

tranandaeque Alpes promotaque culmina caelo
Caucasia, et superis jam jam calcandus Imaus,
qua Gangem large undantem Gangeticaque antra
emittens hinc, inde per horrida saxa rotatum
devolvitque Indum, collectisque amnibus auctum
in mare Patalium septena per ostia fundit),
interea canere insuetum juvet, et juvet ipsis
digredientem orsis et carmina culta sequentem
terrasque aequoraque mulcere atque aera cantu,
et fandi decus extremis adjungere rebus.
Sic tibi Sebethi crescit quae ad flumina laurus
non Austrum urentem, non saevos sentiat imbris,
sed gelidi foveant rores, sed mitior aura,
et passim riguis inolescant lilia pratis.
Ipse quoque ignotos referam per carmina lusus,
digrediens saepe, et coeptis dilabar ab ipsis,
quo labor, insudatum iter et via iniqua levetur.
Nam tibi terrarumque situm, et cui subdita monstro
quae regio, et sibi quemque locum quod vendicet astrum,
expediam. Jacet extremis in partibus orbis
Oceano cincta et pelagi resonantibus undis
gens Orco sata, gens Ditem commenta parentem,
caeruleis quondam tellus habitata Britannis.
Hanc contra jacet algenti Germania campo
dives aquis, dives nemorum viridantibus umbris,
saevarumque parens fecunda altrixque ferarum.
Martius hanc quadrupes gentem atque haec litora servat,
bellator quadrupes, fulvis qui cornibus horrens
ad pugnam vocat et torva ciet agmina fronte,
insignis villo, sed longe insignior ausis
pugnarum, ipse e caelo, ipse et de limine Olympi
jam quassans caput et tereti cervice coruscans,
jam frontem ferus excutiens, jam cornua jactans,
sidereosque deum campos rutilantiaque arva
prosubigens pede, et aurato sub vellere crispans.
Hinc Gallos, saevum genus atque immania corda,
quos Rhodanus secat atque Liger refluentibus undis ;
hinc gentem indomitam et gaudentia pectora caede
Bastarnas ciet ad pugnam et fera suscitat arma,
armaque, pilaque, amentataque tela cateias.
Tum deus armipotens, secum nova gaudia versans,
inspectatque ferum et pugnacia cornua laudat.
Mox hastam dextra excutiens et vertice conum
flammantem ac longe jaculantem incendia cristam,
erigit in pedibus seseque et concutit arma
horrisonans. Ecce hic geminae de vertice flammae
scintillant : hae agitatae Euris per inane feruntur
incensae, facibusque auras atque aera signant,
Teutonicosque petunt saltus vadaque invia Rheni.
At circum populi longe lateque colentes
ignescunt calido afflatu, et fax Martia saevit.
Scintillis etenim alterius temerarius ardor
incensus furit et truculentia fortibus ausis
effera, at alterius effert calefacta favillis
indomitum caput ac violenta superbia voce
intonat, et nigro rabies armata veneno,

foeda ungues, impexa comas et dente cruento ;
qua gressum movet et saltu se tollit Erinnys,
crine minax ; hac erranti discordia passu,
iraque, vesanusque furor comes additur, et lis
ipsa quidem ardenti spargens incendia dextra
evocat e latebris bellum, ac sese instruit armis.
Sic ubi spinosis in saepibus horridus ignem
injicit agricola, et flammas agit Eurus euntis,
omnia candescunt circum loca, candet et aer
ignibus, insolita fervent sola subdita flamma ;
hic antro excitus coluber, minitantiaque ora
attollens, oculis ignem vomit, et ruit alto
pectore caeruleus, squamosaque tegmina verrens
pulvereum sulcat spiris iter, aestuat ira,
ingeminat calor et rabies nigrescit eundo,
atque illi collo atque elato pectore livet
virus, et erranti maculantur terga veneno ;
nunc caudam explicitans, sinuosaque tergora vertens,
labitur, et toto capite exsilit, ac volat acer
per frondes, per saxa ruens ; nunc pectore toto
eminet ac tergo sese exerit, et micat ore
torva tuens, linguisque ferus jacit atra trisulcis
vulnera ; livescunt sparso nigra pabula felle.
Ergo incomposito confestim in bella tumultu
currit ab arctois scopulis furialis Iberne,
exerit e ripis Tamesis caput, exerit ingens
Albis, et incertas volvens Garienus arenas,
Vistulaque et summo decurrens monte Suevus.
Ecce vident Senonum populos, lateque vagantes
Vangiones trahere armatas in proelia turmas,
Lugosque, Creonasque, et certo Elveonas arcu,
et Cimbros gladio insignes, et Saxones hasta,
ac falcata truces qui raptant esseda Congi ;
tum Cattas, Tagratosque, habilemque ad tela Sicambrum,
quique fremunt Chauci praeter vada nota Visurgi,
jamque Alpes metire oculis jugaque edita caelo
subjectosque jugis campos glacialiaque arva,
ac primum nemora illa ingentibus obsita silvis.
His Belgas ense invictos, Morinosque, Batavosque,
Arvernosque, ferum genus, his Venetosque, Remosque
sustulit in campis Caesar belli deus, atro
sanguine cum rubuit Liger, intepuitque cruore
Mosa virum, et capiunt vix ipsa cadavera ripae,
Oceano indignante comam et mersante sub amnem.
Ast illis (manet aeternum decus) interiit gens
et silvis prognata et Rheno educta parente,
gens ferro atque hosti primis assueta sub annis,
Helvetii, Usipetesque, atque effera corda Suevi,
quis unum praedae studium, ac durare sub ipsis
corpora fluminibus, teloque assuescere dextram.
Non urbis, non cura domus agrive colendi ;
venatu ducunt vitam atque e lacte liquenti,
et quod Marte sibi spoliato ex hoste pararint ;
bella placent fususque hostili e corpore sanguis.
Hos motus animosque atque haec certamina summo
Gradivus caelo inspectans, crepitantiaque arma

conflictu pugnantum, et equis decora alta parantum
hastaque et gladio et sparso super arva cruore,
miratur simul ipse equites, peditesque, ducesque,
tantarum et molem rerum ac conamina tanta.
Mox flammantem hastam et calvi tela horrida Iuli :
"Cedo, inquit, simul arma, simul mea signa nepoti,"
delapsusque polo pugnanti atque ense furenti
astat. Adesse deum sentit deus. Illicet hostes
vertuntur, volat acer equoque insignis et ostro,
per mediasque acies exsultat victor Iulus
caede madens ; natat in medio Mars ante cruore.
Hos lusus tibi, nate, viae coeptique laboris
esse vides comites, quibus et vada summa Lemanni,
nimbiferasque Alpes, quibus et fera regna Brigantum,
Rhaetorum et celsas hilares penetravimus arces.
En Drusi monumenta, tuique, Auguste, labores,
en fontes auro gravidi ; fluit aggere ab alto
labens Vindelicos qui dividit Aenus agros,
hoc effert antro Rhenus caput, evomit illo
undarum rapidos insano murmore fluctus
Danubius, spumosa Padum specus altera versat,
mons partu felix tanto totque amnibus auctus.
His sociis dum aurae spirant, dum ridet et aer,
nec fessis placidos negat Aonis unda liquores,
coeptum iter ignotasque citi pergamus ad oras.
Namque etiam Solymorum arces, lateque fluentem
Jordanem (loca nota deo), Syriaeque recessus
finitimos, palmaeque feracem germine Idumen,
Carmelique apices, quin et Libanitida cedrum,
quaeque fluentisono cursu ferit aequora Corseus,
et quam Chrysoroas lento subit amne paludem,
cornupetens Aries rutilanti vellere servat,
et Mars ipse suo gaudens prospectat ab astro.
At Nemeae fera tutatur Samnitida terram,
et Latium, Tetricaeque domos, atque Itala regna,
et dites Umbrorum agros, opulentaque tecta
Aemiliae, quaeque arva secat quasque irrigat urbes
Mincius. Huic nymphae Andiades lectaeque sorores
Benaci miscent violas, maestumque hyacinthum
intexunt. Ille incedit per prata superbus,
invitans faciles latebrosa ad furta Napaeas ;
quem vel Maeonii cantus Ascraeaque plectra,
vel Sibaritis avena Peloriadesque cicutae
inflarint, notum et choreis et amore Melissae.
Tutatur quoque quos labens de montibus altis
dividit Eridanus populos, et territat urbes
abruptis ferus aggeribus digressus et alveo,
secum agros, secum agricolas, secum obvia raptat
armenta, ipsarum fastigia celsa domorum,
evertitque imo fundo, excussatque sub undis
vasta fremens. Videt infelix sua pignora mater
immersantem amnem, videt et deserta parentem
nata senem involvi rapidarum gurgite aquarum.
Pignoribus dum sera parens, dum nata parenti
auxilium parat, hic ambas circumacta vorago
absorbet cumuloque ingenti vallat arenae.

Parte alia spumans albenti aspergine pastor
dum pecudem pelago avertit, dumque arcet ab amne
inclamans, fidusque illi comes astat aluta,
obliquo rapitur torrente et hiantibus undis,
sullatus mox aeria suffigitur alno.
Grex justa natat. Hic fessus socia agmina aluta
circuit. Ast illum abrumpens magno agmine vortex
caeruleus, truncumque trahens vorat, et vorat una
lanigerum armentum, truncoque involvit alutam
latrantemque etiam ac domino pecorique timentem.
Tum miserae e summis luctum Phaethontides alnis
ingeminant, miserae Phaetontia turba sorores
abrumpunt lamenta ; vident electra suarum
relliquias lacrimarum, acris monumenta doloris
amne rapi, rapi et avulsis sua munera ripis ;
ac nova dum veteres revocant dispendia luctus,
ipsae iterum Phaetonta, iterum Phaetonta requirunt.
Finitimae trepidant urbes foraque omnia circum,
diffugiunt errantque greges custode relicti.
At lacrimans at fusa comas ac pectora plangens,
desperans homines et opem Ferraria, et ipsos
urgenti vix posse deos obstare tumultu,
praediaque oppidaque urbesque evertentibus undis,
indomitis undis summum haud satis esse tonantem,
excidium pavet attonita, atque immania fata
diluviem exspectat ; ceu cum miserabilis ales,
vincta pedem laqueo pennasque interlita visco,
accipitrisque famem truculentique aucupis iram
horrescit trepidans. Tum candida turribus altis,
purpureosque sinus niveasque intecta papillas
albenti strophio, formae sibi conscia amorumque
Eridani, sese ostentat, sua lumina in amnem
defigit Stella arridens, ac flumina molli
obtutu irradiat. Sentit sua gaudia et antro
proripiens, cinctumque alno caput exerit undis
Eridanus. Tunc nympha oculis jacit aurea in illum
tres veneres, tres illecebras, quibus excitet ignem,
excitumque sua succendens ventilet aura.
Hic videas flammantem amnem longeque agitantem
scintillas vomere et rapidos incendia fluctus.
Illa iterum illecebras, iterum veneresque liquoremque
afflat Acidalium, quis saevos temperat ignis ;
mox risum spirantem auram ambrosiaeque fluorem
laeta movet. Leni flammae incenduntur ab aura,
post liquido ambrosiae sparsae de rore madescunt :
hinc juveni in mediis liquuntur pectora flammis.
Ut magnes ferrum in sese versatque trahitque,
sic virgo trahit Eridanum versatque tuendo,
deque sinu jaculata faces succendit amantem.
Corripit ipse novam flammam, atque ignescit in amne.
Ecce ingens post terga fragor sonat, intonat aer,
dissultant ripae, et fluctus se tollit ab imo ;
agnoscit deus instantem a cervice ruinam,
attonitaeque timens dominae atque incensus amore,
cessantem fluitare amnem jubet ocius. Ipse
attollit dextra elatum triplici aere tridentem,

concutiensque caput properanti elabitur unda
insignis curru et terno cava tempora cornu ;
prospiciensque undantem alte descendere nimbum,
vellentem arbusta, et secum vacua arva trahentem,
armatam attollit dextram et ferus imperat ore :
"Nil ultra temptandum, undae, atque absistite ripis,
parcite agris, vimque aggeribus cohibete sub ipsis."
Haec ait : illae spumantes tumido aequore fluctus
includunt alto alveo, et placido agmine cursum
maturant, pontum et tacitae ingrediuntur apertum.
Ipse locum celer optatosque revisit amores,
et celsa dominam laetus de rupe salutat ;
libera sidereae plaudit Ferraria nymphae
dona ferens, mox et placido gratatur amanti.
Haec vos haud ingrata viae solatia, nymphae
aeriae, dum Flaminiae tranamus et amnes,
et colles Piceni, et non vada tuta Truenti,
dum praecutinas cautis, cavaque hostia Aterni,
pelignumque solum, celebrataque flumina Musis,
dum Marrucinos colles, sitientiaque arva
Gargani peragramus et arenti Aufidon ora,
et mecum cecinisse et iter lenisse canendo
ac durum juvet accentu mollisse laborem.
Sic vobis, nymphae, aeternum sit ludere, sic vos
et gelidae accipiant valles et flumina fessas.
Ipsa etiam ardenti gaudet defensa Leone
usta siti et latis fundens se Daunia campis,
quaeque nitet pigro tellus madefacta Galeso ;
et tellus late ingenti circumdata Silae
dives agris, dives pecoris, longe optima nutrix
Lenaeae vitis, ditique argentea gleba,
clarorum inventrix studiorum, atque aemula divis,
magna viris, magna ingeniis atque urbibus ingens ;
ac parvo distincta freto, oblatrante Charybdi,
insula terrificis Aetnae celebrata caminis,
Cyclopum domus, et cupido loca pervia Diti.
Dum ferrugineo rapitur Proserpina curru,
ad manesque iter ingrediens nova subruit antra,
atque ea, quaesitam post natam Ereboque repertam
monstratam et segetem mortalibus, horrea genti
constituit dea, quae Siculis dominatur in arvis ;
deque fame quotiens hominum genus omne laborat,
antraque horreaque et cerealia claustra relaxat
ac saturat laetas renovatis frugibus urbes.
Has gentes Leo, siderea dum spectat ab arce,
florentisque manus videt, exsultatque videndo,
ingentes illos animos ingentia ad acta
suscitat, imperiique animos accendit ad arma
horrificus. Sentit tacito nova gaudia corde
Delius, admiransque armos et pectora saevi
quadrupedis, laeto fulgentia lumina vultu
figit in Italiam, et genti gratatur et urbi,
quae quondam Euro praescripsit Zephyroque Notoque,
et Boreae imposuit leges, suaque intulit arma
Oceano, nunc templa deum et sollemnia curat,
sacra colens, magno et ritus jam praeficit orbi.

Mox terram altricemque virum imperiique parentem,
et leges condentem, et diis pia sacra ferentem
commendatque Jovi, atque Italum fovet auctor honores.
Annuit his precibus divum pater. Inde fluit sors
imperii magnarum et opum, et reverentia legum.
Phoenissas etiam gentes Chaldaeaque regna,
antiquum genus, irradiant fulgentia monstri
vellera Phoebei. Nam quos de rupibus altis
Pyrene spectat populos, quaeque aurea findit
unda Tagi, quaeque arva secat Sicorisque vagique
fontis Anas multoque trahens se gurgite Iberus,
qua vasto circum pugnax Hispania ponto
alluitur, quaque ora maris se Celtica Tuscae
porrigit in portum Lunae, ac Tyrrhenia cultos
ostentat colles, atque in mare solvitur Arnus
clarus opum felixque operum atque insignis honorum,
aurea quem gemino jungit Florentia ponte ;
parte alia solem ad rapidum Clymeneiaque astra
laudatos Arabum campos, pinguemque Sabaeum,
Eudaemon qua felici nitet inclyta gleba
(Betius hanc Zamete fluens lavit herbiger amnis,
et qui thura Laris fecundis miscet arenis
stillantem evolvens in Persica litora myrram,
hanc ripa frondente vagus sinuantibus undis
Hormanus fecundat, et in vada caeca Priones
sese agitans, dum caeruleo provectus ab alveo
intrat Erythraeum per pascua laeta profundum),
Haemonius sibi jura senex haec vindicat. Inde
Jupiter hos populos placido fovet anxius astro,
ac terram myrrae matrem stirpisque parentem,
thuriferae miratur opimo germine laetam,
bis ferat ut segetes anno, bis poma ministret.
At Parthos, genus acre, propinquaque Persidos arva,
et latos Medorum agros Taurina tuentur
cornua, quaque Asiae litus se porrigit, et qua
Cyclades insanum tundunt mare, notaque Cypros
ostentat Paphias candenti marmore turres,
ac sedis, Erycina, tuas, quibus aurea quondam
fulgebas. Hinc ipsa urbes, hinc oppida gentemque
invisens et blanda foves, et amica tueris,
et fontis memor et nemorum, quis sedula natum
formabas docilem hamatae se aptare pharetrae,
tendere mox arcum, et celeres tentare sagittas
in volucres prima expertum. Illae ut amabile telum
senserunt, placida Idalium implevere querela,
murmuraque ingemuere leves. Strepit incitus ales
in venerem. Certos iterat puer impiger ictus,
inde feras pecudesque petens graviore sagitta.
Ipsa, faces jaculata, novum post vulnera vulnus
infligis : caluere ferae, grexque omnis in ignem
incensus furit. Hic audax puer aptat in ipsos
pastores ramum, quem stirpe Athamantide vulsum
mater Acidalio continxerat amne. Ibi vulgus
pastorum pecudesque interque armenta ferasque
ingemuit : silvae insolita sonuere querela.
Tum Charites fudere novos e fonte liquores,

vulnera quis gemitusque et acuti in corde dolores
sedantur ; tunc ipsa, sinum nudata, papillas
exeris : effulxit jubar, ac de pectore eburno
afflarunt gelidae Zephyris felicibus aurae,
quis aestus recreas juvenum lenisque dolorem.
Hic videas amnem ad rapidum viridante sub alno
pastores miscere novas per prata choreas ;
hic primum cecinit teneros nova fistula amores,
insuetumque suae carmen modulatur amicae
Upilio ; assuevere choris Dryadesque Napaeaeque,
et Panes socii, et nemorum montana propago.
Tum primum nymphae heroem, heros heroinen
arsit ; amant heroes, amat pastoria turba.
Ipsa inter medios juvenes mediasque puellas
compta canis, silvasque moves et flumina sistis,
et circum pictae variant sua rostra volucres.
Has artes Cypros atque haec incunabula nato
prima dedit, primosque tibi monstravit amores.
Namque in Acidalii frondoso margine fontis
ducebas nitidum properanti pollice plectrum ;
conveniunt nymphae ad cantum properatque juventus
pastorum, simul heroes, simul heroinae,
et Panes montanicolae, quosque acer in ignem
egit Amor. Coeptae choreae. Vox omnis amantum
una fuit : "Mihi parce puer, mihi parce puella,
o niveo candore puer, roseo ore puella."
Ecce autem Phario veniens de litore pastor,
commotus fama chorearum et honore canendi.
Astitit, obstupuitque una : obstupuere puellae
miratae pastorem. Etenim coma mollis, et illi
qui caelo possent superos deducere ocelli,
quis ignem, dea, quis sensus instinguis amandi
fixa tuens. Arsit Dryas, hinc arsere Napaeae
indignantem animis et tristi corde rigentem.
Hic Amor ipse duas gutta ex amathuside tinctas
selegitque arcu innitens strinxitque sagittas,
quo victor duplici geminaret vulnera telo.
Hae validis agitatae Euris et viribus actae
confligunt simul, et celeres strinxere favillas
incensae illisu rapido, et fax ignea fulxit
aucta Noto. At tacitos intus calor urit amantes.
Altera Niligenam puerum ad praecordia fixit :
obriguere gelu venae, sed flamma medullas
urit agens, correptum adolent incendia pectus.
Ignorat tamen, unde faces, unde acta sagitta ;
nunc pallor, nunc purpureus color ore recursat,
ac multa e vario volitant suspiria corde.
Altera detorsitque iter, ac vestigia ab ictu
laeva petit : laeva sensisti e parte sagittam
errantis mater pueri ; longe ingemis. Ille
ridet, et implicitus collo blanditur amanti,
admotusque sinu nudato atque oscula fingens
ignotum matri diffudit in ossa venenum.
Cujus ubi tibi vis est cognita, tingis et illo
docta faces, quis corda afflas mentesque deorum,
cogis et humanis superos pallescere curis,

inque bovem mugire patrem et freta longa secare.
Te nati telum, patria tellure relicta,
pastoremque sequi jubet et pastoria jussa,
te Memphis dolet errantem prope flumina Nili,
te Nilus miseratur ad herbida prata gementem,
cum tenerum exanimata fovens lacrimaris Adonim,
et Marti praefers pastorem, et flumina caelo.
Hos numeros celebrate, aurae, Oceanitides aurae,
et Cypron cantate et fontem Amathusidis undae,
unde meos et fovi aestus et vulnera lavi,
cum valles : "Ariadna", nemusque : "Ariadna" referrent,
et miserata graves iterarent litora questus.
Non Babylon, non quae ora inter Tigrimque vagumque
Euphraten, non quae Assyrio riget ora calore,
non Crete quondam Jovis incunabula magni,
nec veteres Graiorum urbes, nec Achaica regna
Virginis ingentes alas et brachia vultu
non laeto aspiciunt, non Virginis inclyta dextra
protegit has, non Mercurii variabile sidus,
ingeniique bonis et linguae laudibus ornat.
Scilicet hic patriam antiquam dulcisque recessus
Cyllenen meminit, lususque in montibus actos,
dum pueris puer immixtus per gramen ad umbram
et choreas agit, et dulcem modulatur avenam,
et primus nudae meditatur dona palestrae.
Saepe illum genitrix, silva dum quaerit in alta,
hirsuta committentem agnum in proelia fronte
invenit et cauta revocantem in verbera dextra ;
saepe suas levi curas in cortice fagi
testantem, et scripto signantem carmina trunco :
"Quid fugis, o formosa Dryas ? Qui te puer optat,
lilia cana novem dono dat, datque hyacinthos
Florenti intextos amarantho, et cypride fronde.
Haec puer ; ast olim cupidas quoque pectoris auras,
osculaque intactis servat tibi roscida labris."
Finitimos vero Thraces, Rhodopeiaque arva,
Haemumque, Hebrumque, et Macedum quondam inclyta regna,
Illyricos etiam tractus, vagaque ora Timavi,
et Gangem late undantem, et Gangetida terram,
Gangaridumque domos dites, adamantidaque oram,
quaque Arius stagnante vado fluit et ruit inde
gemmiferos volvens latices atque aurea saxa
Aegoceros imo ascendens prospectat ab orbe,
falciferoque seni et populos commendat et urbes.
Non Mariam, non longiflui lata ostia Nili,
aut campos, Aegypte, tuos, aut pinguia culta
Cyrenes, non Marmaridum loca torrida ab aestu,
Hyrcanive sinum maris, aut quos aspera saltus
Armeniae Tigris colit et vagus ambit Araxes
aut Arcas puer, aut Geminorum cura Laconum
negligit ; aut laetos felici vellere Seras
deserit alma Venus, justae aut trutina aurea Librae.
Haec quos Gardamonis populos, quos et Zariaspes
alluit et ripis Ochus insignitus opacis,
et quae turrigeris insurgunt moenia Bactris ;
haec quos e Scyticis delabens montibus Indus,

Sandabalisque rigant campos, Casperiaque arva,
Indus aquis, Indus populis, auro effluus Indus,
regnatorque hominum Eoi et rex maximus orbis,
atque alio sub sole nigrantis Oasidis oras,
qua Libyco subjecta jugo squalescit et atris
stagnat Muris aquis, vasta et mons surgit arena,
atque abit in celebrem Mareotis lympha paludem,
quaque vetus Thebe centum stetit inclyta portis,
imperitans moderatur et usta caloribus antra ;
quis passim nudi juvenes nudaeque puellae
optatos agitant lusus et, pectore nudo
complexi, socio ducunt sua gaudia nexu ;
quis et pauperies comes est, comes alma voluptas,
et solem odere, et tenebris laetantur opacis.
Nec Phrygio juveni studium aut sua cura recessit
terrarum. Namque hinc gelidos regit axe propinquo
Sauromatas arcu insignes et acinace curvo,
et quos Oxa palus, quos et vada longa secutus
percurrit, varias miscens secum Oxus arenas ;
illinc Aethiopum campos sitientiaque arva,
et vastos Arabum fines, immania tesqua,
immitesque elephantum oras, Azania regna
qua se barbaricum in pelagus spumante fragore
Rhaptus agit, secat et rapidi fera litora ponti
ac tractus secat, humano quis sanguine pasta
gens errat nemorosa, ferunt cui pabula caedes,
et potum cruor expressaeque ex osse medullae.
Parte alia rursum in pelagus se proripit ingens
Zingis, et immanes pascuntur justa elephanti.
Post Coloa stagnante vagus fluit aequore aperto
Astapus, et socio jungit sua flumina Nilo,
jungit et Astaborae, et Blemium hinc populatur arenas,
illinc Memnonios cursu secat improbus agros.
Hos fovet Idaeus puer, ut nec frigus iniquae
Sarmatidos, nec saeva senex incendia vitet
Aethiopum extremo aspiciens Saturnus ab orbe.
Ast Tingin, Bochique domos, habitataque Mauris
tecta, deosque humeris caelumque Atlanta ferentem,
insignisque auro et pomis radiantibus hortos
Hesperidum, ac deserta siti Getula leonumque
arva fame Mars omnipotens et Scorpius ardens
inspectant laeti caelo, et sua jura tuentur ;
hic cheles, ille ense potens, quis culta Syrorum,
Cappadocumque agros, quis Commagenia rura
defensant, moresque viris et munera monstrant.
Finitimam Cilicum gentem, jugaque edita Tauri
et flexus, vage Cydne, tuos, saltusque malignos
Pamphiliae, et fulvas rapidi Eurymedontis arenas,
felicesque Hermi ripas, rutilantiaque auro
litora Pactoli, et florentis Maeonas armis
cura Jovis fovet, insignitaque Piscibus astra
irradiant. Colit hos Garamas desertaque tellus
Aethiopum, colit exustis Nasamonius arvis,
Tuspique, Arcagorique, incensaque solibus ora,
quique tenent vacua arva et sole incocta Anagombri,
quique aestu sitientem agrum vicinaque Syrti

litora Fazani, desertaque inhospita versant.
At Cancer noctisque decus Latonia Virgo
Lotophagum sedes tenet, et quos Bagrada saltus
infidusque secat Cynips et Punica late
litora, quaque vagus se tollit in aequora triton,
et formidatas olim Carthaginis arces
ac latebras, Masinissa, tuas cavaque antra leonum,
Aetaeos etiam fines, squalentiaque arva
Colchidos et saevae non hospita litora Ponti,
quasque oras Phasis rigat et quas spectat ab alto
vertice piniferis Ide circumdata silvis,
Ide altrix silvarum, Ide fecunda ferarum,
irriguos Ide fundens de rupibus amnes.
Quos justa Phrygiae per opaca umbracula nymphae
aestatem prohibent, nudataque corpora lymphis
praecipitant ; nitet in mediis argenteus undis
candor, et ex imo fulget vaga purpura fonte
et roseus color. Hic tremulae per caerula flammae
scintillant, quas illae oculis jaculantur ; ibi acer
observans Amor, acer ibi sua tela sagittas
ustulat igne novo flammisque recentibus armat,
ac nova per Phrygios meditatur proelia campos
insultans. Calet omnis ager, calet Asia et ipse
extremo volvens incendia fonte Caicus.
Bithynos etiam colles jugaque alta Cytori,
et freta Cyaneas inter currentia cautis
Luna tenet summoque nitens in cardine Cancer,
quaeque olim Pegasea ratis loca legit ; ubi ingens
Alcides actus furiis victusque dolore,
immemor ipse sui, clavaeque oblitus et amens
erravit, cum ripae illum ac resonantia saxa,
illum amnes, illum antra procul vallesque referrent,
clamantem : "Mihi reddite Hylan" totiensque gementem,
tundentemque Hyla nemus, aequor Hyla replentem.
Has illi poenas Cytherea irata paravit,
quodque apio insignire comam, quod tempora myrto
abnuerat, cum laeta illum ad carchesia victor
Oenides omnemque una Calydona vocasset,
gaudentemque apri spoliis et virginis actis.
Sit mihi fas, nymphae Aonides, dum litora curro,
quae quondam cithara modulans percurrerat Orpheus,
sit fas Alcidae luctum puerique rapinam
et canere, et longum cantu mulcere laborem.
Dum vocem valles referunt, dumque ipsa canentum
murmura responsant et ripae, et litora, et ipse
conscius erroris fons, et loca conscia questus,
(vestrum opus) ut fessae reparentur carmine vires,
assit et extremis decor et sua gratia dictis.
Appulerat Mysorum agris Magnetias Argo,
cum tenero comitatus Hyla petit impiger alti
Alcides juga per densum frondentia montis.
Hic septem capit errantis per devia cervos,
septem arcu pedibus binos et robore plantae
insignes maculis primoque ad tempora cornu.
Hos puer attrectare manu palmisque fovere
incipit, et tereti subnectit vincula collo

exsultans praeda et maculosis pelle gemellis.
Hic heros fessus cursu per gramen ad undam
ingentis artus sternit, clavamque trinodem
suspendit trunco, et pharetrae caput aptat onustae ;
invitat somnos labor et vicinia fontis,
umbraque textilibus circum variata corymbis.
Ipse autem fons perspicuis argenteus undis.
Albescunt imo sparsi rutilantque lapilli,
quos huc illuc subsiliens vomit unda ; quiescunt
mox illi, pictaque solum variatur arena.
Laetantur vitreis errantia lumina in undis ;
in summo natat umbra, natant ramique comaeque
frondentes, sol per tenuis vaga lumina rimas
irradiat, variant umbrae variantibus auris ;
pendula per nitidum currunt umbracula fontem,
murmuraque in solis strepitant resonantia silvis,
quae lenis movet aura, movet recinentia ramis
ora avium et vario resonant cava guttura cantu.
At circum atque ipso crepitantis margine rivi
ver halat, roseusque decor se fundit ad auras,
liliaque in viridi spirant canentia thyrso,
et memor ingratam maeret narcissus ad undam ;
tum violae e patulis redolentia munera ramis
praetendunt laetos flores implexaque serta
spirantis rarum veris decus. Enitet inter
illustris passim floris monumentaque divum
flos rarus, flos ipse hominum vix cognitus ulli ;
heroes norunt et semideique deique,
Jupiter hoc thalamos jubet, hoc jubet aurea conjux
rorari genialem aulam, cum laetus uterque
laeta agitat sociosque parant conjungere somnos.
Hos inter gratam Alcidae per membra quietem
stillarat sopor, et fessos recreaverat artus.
Ipse autem somno gravior victusque sopore
horrentemque animam late de pectore anhelus
efflabat. Nymphae, insolito de fonte fragore
excitae, liquidis caput exeruere sub undis ;
utque virum videre per herbida prata jacentem,
tendentemque artus, mento setisque rigentem,
claudentemque superciliis cava lumina, risum
ingeminant : laetis interstrepit unda cachinnis.
Ridebant aliae stertentem heroa ; sed haerens
in puero non ipsa oculos, non lumina torquet
blanda Earis, sentitque deae Zephyritidis arcum
tabificum ultricesque manus. Ea, colle propinquo
insidians, telum Idalium, immedicabile telum
perstrinxit, sublatum alte intinctumque veneno
fontis Acidalii. Hoc etenim dea Cypria telo
utitur in nymphas, quotiens mortalia nymphis
objicit ora, hominumque deas pertentat amore.
Interea, catulis puer ad praesaepe ligatis,
ludebat, pexosque manu mulcebat, et herbas
selectas dabat, et mixto inter cornua flore
intexens viridi caput insignibat acantho.
Mox ipso infelix puer, ipso in margine laetos
infelix lavat, et vitream depectit ad undam

rorantis udo latice atque aspergine cana.
Senserunt catuli fontem notum. Ah puer, ah sors
dira deum. Saliere feri, puerumque sub undas
traxerunt. Terque ipse manu pedibusque humerisque
obnitens clamavit herum : ter candida Nais
ora manu pressans liquidum vi traxit in amnem,
atque amplexa suis pavitantem condit in antris
fulgentem tamen ora, oculisque comaque decentem.
Illa quidem puero fruitur. Sed flava Nychia,
et nigris Eunice oculis petulansque procaxque,
atque umbrae Melis consueta, Adranea recessu
picta genas tortisque comis et nuda papillas,
ac nunc multa suo fundens suspiria corde,
tabescunt miserae invidia latitantque sub antris.
Septem Earis malesana dies, septem anxia noctis
cum puero insomnes agit, ut neque parcat amanti,
nec parcat rursum ipsa sibi, sed perdita et amens
deperit illum oculis, amenti et deperit ore
perdita ; mox clauso exanimis collabitur antro.
Ast heros somno excitus pavitansque dolensque
quaerit Hylan, repetitque et Hylan. Nemora avia longe
responsant, iterantque et Hylan. Puer abditus antro
ipse quidem responsa refert ; sed nympha, sed antri,
occlusaeque fores, molesque immanis aquarum
adversans prohibent superas attingere ad auras.
Luctatur sed vox, intusque offensa resultat,
atque obscura procul revolutaque bombit imago.
Errabat miser Alcides gemitu obvia complens :
praecipitem nunc ardor agit, nunc victa dolore
genua labant, nunc mugitus per saxa resultans
inventum promittit Hylan, modo lusus et exspes
arcumque clavamque veneficamque pharetram
turbat humi ; mox amisso praefertur amante.
Jamque oculi, jam vox defecerat. Ecce per amnem
visus Hylas. Vocem ingentem dedit excitus heros,
in mediosque salit fluctus et brachia tendit.
Exili tum voce puer : "Mihi gloria in amne est,
care parens, absiste queri, sat terra, sat aequor,
satque tui socium me jam novere labores ;
sat sit Hylan sudasse tuae sub pondere clavae.
Jam requies mihi parta et hymen et numen in unda :
vive memor, nostrosque animo servabis amores."
Hic lacrimas dedit atque extendit ad oscula vultus
purpureos ; vani rapuere sed oscula venti.
Sectatur properantem heros, sed caerula conjux
sectantisque oculis nubem objicit, et vetat antro
indugredi. Tales reddit de pectore voces
Alcides : "Mihi care puer, tua gloria laudi
atque undis jam parta quies et numen in amne,
invidiae conjux et amante et conjuge felix ;
in clava mihi nomen Hylae Libycaque pharetra ;
pulchcer Hylas, regnabit Hylas in pectore nostro :
sis facilis, nostrosque juves in parte labores."
Dixit, et ingentem viridi de caespite collem
erigit attollitque manu : componitur ara
in medio, lecti flores et olentia serta

spargunturu ; gestati arcus gravidaeque pharetrae
stant super, et rutilas volvunt incendia flammas.
Ipse aram novies lustrans bona verba precatur
cum gemitu, novies et Hylan de more salutat.
Visus Hylas media flores quoque sumere ab ara.
Hinc iter ad Phasim ingeminat, minuitque dolorem
ipsa dies, desiderio vis addita crescit,
mensque resurgentis renovat sub pectore curas,
quae fossum excipiunt variae et comitantur euntem,
litora dum properans legit et cava flumina tranat ;
solantur tamen in tenebris insomnia et umbra
obversans oculis et Hylae amplexantis imago.
Forsitan et quos quisque deus per pectora sensus
excitet et quales nascenti sidera mores
portendant, canerem, diversaque fata, virorum
quae facies, vigor aut membris, quae robora cuique,
quod studium, quodque ingenium visque insita cordi,
ut rerum series et coepti carminis ordo
postulat, et toto passim ferremur Olympo,
scitantes quae vis superum ac fortuna locorum,
astra deum quid juncta simul, quid, ab orbe remoto
dum certant, quid, cum radio intueantur amico,
promittant, qua parte favor, quave ira deorum
eveniat, mors unde repens, aut tempora vitae,
quaeque hominum generi caelo ducuntur ab ipso ;
verum ingens dolor et fatum insolabile magni
Herculis, ac totum lamenta audita per orbem
crescentem natae luctum immedicataque duro
vulnera retractant ferro, ac nova robora sumit
cura recens, semperque novos dolor incutit ictus.
Non potuit famulantem heros, socia arma ferentem
victor apri excisorque hydrae domitorque ferarum,
non valuit pueri casum nymphaeque rapinas
ferre deus. Mihi nata seni, mihi filia patri
eripitur. Crescat dolor et nova cura resurgat.
Parcite, Pierides, nostroque absistite luctu.
Vos laetos agitare choros juvet ; ite, puellae,
ite, deae. Tuque, o toto dux praevia caelo
Uranie, proprios repetens age, diva, recessus :
ipsa tibi dulcem in thalamis meditabere cantum.
Funera nos lacrimaeque decent. Procul este, Napaeae,
este procul, Dryades, cultaeque in carmine nymphae,
liquentisque amnes colite et colite otia silvis.
Forsitan et te, Aurora, juvet, dum Memnona luges,
et nostras audire tuasque iterare querelas.
Sed dolor et lamenta nigro comitentur amictu,
quaeque aerumna meos non deserit anxia questus ;
sed comites estote, aurae, atque favete querenti
et voces geminate et luctum intendite nostrum,
fidae aurae, comites saevi testesque doloris.
Certo ego felicis taedas dulcisque hymenaeos,
nata, tibi carosque parabam e stirpe nepotes,
fingebamque et avi lusus, numerosaque verba
ad cunas, cantusque senex meditabar aniles.
En miserae patris taedae ? Hosne senex hymenaeos
aspicio ? Sunt haec solatia grata nepotum ?

Nata, jaces, nec blanda senem, nec filia patrem
alloqueris, sed muta siles, sed lumina condis.
Hoc meruit pater infelix ? Age, nata, reclusos
et sustolle oculos et me solare querentem.
O vanum desiderium et spes patris inanes :
En tabes. Decor ille tuus quo, nata, recessit,
deliciae matris miserae ? Tibi dona parabat
et lusus dignos hymenaeo et conjuge vestes :
pro donis lusuque et pro laetis hymenaeis
liquisti luctum et lacrimas atque aera nigrum.
Ornabam tibi serta domi, Syriumque liquorem
ad thalamos geminae, geminae tua cura sorores
fundebant. Quid pro sertis Syrioque liquore
liquisti ? Sine sole dies, sine sidere noctes,
insomnis noctes. Fesso tibi vagit ab ore
frater, et in cunis questus exercet amaros :
has illi illecebras, haec ludicra blanda relinquis.
At patri vetus ulcus et insanabile vulnus
liquisti, aeternos luctus, miseramque parenti
canitiem. O qui me patrem, qui forte parentem
Syrtibus in mediis statuat, saxisve Promethei,
qui rapidas instiget aves et vulturis ungues ?
Non mihi te belli rabies, non aspera ponti
tempestas, non missa polo flagrante ruina
eripuit, tellusve gravi concussa tremore,
aut quae sunt miseris discrimina plurima terris :
ipse mihi flos aetatis speciesque pudorque,
et gravitas generosa, oculisque afflata venustas
(heu, quod, juncta simul dum sunt, bona plurima certant)
eripuit tete. Ipsa sibi probitasque decorumque
injecere manum, et fato sua jura dedere.
Quae, superi, quae saevities. Molitur ab ortu
Sol cursum, pergitque iter, et spatia ardua lustrans
conficit, occiduum dum progrediatur ad orbem ;
at vitae spatium incertum, et persaepe senectus
ingruit in medio cursu vellitque juventae
languentem florem, et spoliat spe divite ramos.
Anne mihi ante oculos grata obversatur imago,
qua mihi te quondam, mea Lucia, qua mihi tete
laeta oculis, blanda aspectu, pulcherrima cultu
consueras offerre ? En aspicio ora decusque
egregium formae et tot honestae frontis honores ?
Laetantem amplexu excipio et patria oscula jungo ;
affaris jam blanda senem, officiosa parentem ;
excutiunt mihi jam lacrimas nova gaudia. Demens,
ac demens pater infelixque parensque senexque,
funde novas lacrimas, ne te jam ludat imago
et sensus memor et mentis spes credula vanae.
Nil, heu, nil reliquum jam Lucia. Cessit in auras,
vel somno similis, vel inani corporis umbrae ;
aut jacet in parva tantum cinis abditus urna.
Num caelo forsanque recens nitet aurea sidus ?
Illam caelicolae inspectant ? Illam heroinae
mirantur ? Clarum nota inter sidera lumen
ipsa micat nova lux, caelo decus addita et astris ?
Nata, queror. Reptantem auris caeloque vagantem,

astra recensentem numerosque et signa notantem,
heu fallax natarum amor, heu male grata, nec ore
appellans, nec voce petens patrem ipsa vocasti.
Saltem, o saltem oculos ad lumina nostra reflexes.
Ah diras patrum spes et solatia dira ;
ne caelo, ne diis pietas. An forte nec ipso
splendescis caelo, tenebrisque adoperta profundis
caligas nigricans ? Pereat lux, omnia noctem
ingeminent, tenebraeque cavo dominentur Olympo.
Sed jam o sed desiste, dolor. Mihi roscida flavo
exsurgens Aurora novum jubar aequore tollit ;
praeradiat caput auricomum, roseusque per auras
it decor, eque genis stillat ros fusus eburnis.
Nunc axem, dea, nunc currus, age, pelle volantis,
funde diem, sparge Eoam dux pravia lucem,
pande sinus : natam aspicio. Tecum aurea curru
Lucifero et sociis tecum secat aethera bigis,
blanditurque oculis, lacrimas quoque laeta parentis
aspectu ciet, et blando mea Lucia ab ore
appellatque patrem, summo et sua brachia curru
exerit invitatque senem. Jam, filia, fulges
insuetum jubar, ardescunt jam tempora, jam jam
in radios abeunt crines ; en fulgidus ora
accendit splendor, micat en lux ignea circum
perque genas, totoque nitor se fundit Olympo.
Exoritur jam sol. Radiis en Lucia solis
excipitur, roseoque sinu complexa nitentem
illustratque diem, et super aethera fulget apertum,
atque novum caelo decus et nova lumina terris
diffundit : lucem inde aurae sensere recentem,
clarior et solito diffulxit ab aethere Titan.
Ergo ubi postremum in cinerem squalentiaque ossa
solverit, et longo tempus me absumpserit aevo,
quaeque levis tumulos circum obversabitur umbra,
abscondet nox, et nube obdensarit opaca,
forsitan e caelo aspiciens, nec passa parentem
obduci tenebris, nigrantia nubila late
differet, et patrium longe indignata sepulcrum
nocte premi et densa manes caligine condi,
effundet rutilantem alto de culmine lucem,
et totum in radios clara inflammabit Olympum,
illustrans monumenta patris decora inclyta fama.
Fama ipsa assistens tumulo cum vestibus aureis,
ore ingens, ac voce ingens, ingentibus alis
per populos late ingenti mea nomina plausu
vulgabit, titulosque feret per secula nostros,
plaudentesque meis resonabunt laudibus aurae ;
vivet et extento celeber Jovianus in aevo.
Nec derunt, mutum ad cinerem qui grata locuti
oblectent manes cantu, atque haec pectore versent :
"Huic puero quantum Aonides tribuere puellae,
Castalii quem fontis aquis lavere, et opaca
tempora cinxerunt lauru, fovere et in antris
assuetum choreis Musarum. Hinc pectore anhelo
lustrantem Idalium nemus et loca consita Amorum
et Charites docuere viam, voluere et amantem,

atque faces tractare deae atque Cupidinis arcus,
mox Paphiam canere ad citharam. Procul antra canenti
assultant, resonat virides formosa per umbras
Fannia, perque suas strepitant suspiria myrtos,
et percussa graves iterant juga frondea curas.
Post juveni patuere adytis manifesta reclusis
templa, quibus secreta deum sapientia pandit,
naturaeque artes docet et praecepta recludit
vivendi. Hic illa e media testudine templi
hortaturque monetque viros, foribusque adapertis
admittit meritos, excludit inutile vulgus
detestans. Inde ipse animum formavit, et omnes
explicuit vitae mores, monstravit et artis
ingenuas, totumque audax Helicona pererrans
nil intentatum ingenio dimisit inertem.
Is digito increpuitque lyram, lusitque canendo
ad cyathos, idem ad thalamos Hymenaeon amatos
pellexit cantu, cecinitque admota cubili
Antiniana sales notos, nec defuit illi
rustica quae tenerum modulata est fistula carmen.
Ingemuit simul ad tumulos, lacrimosaque amantum
funera, dum e solis violae afflavere sepulcris ;
instruxitque alas equitum, ac sertoria signa
extulit Hesperiae in campis, tinxitque cruore
arva super ; tumuitque amnis, dum gurgite mersat
arma, viros, phalerasque, et corpora quadrupedantum.
Idem ausus maris undisonos invadere campos,
rettulit austerae salsus sapor unde lacunae,
rettulit unde cadant imbres, unde intonet aether,
prodeat unde comata, cavo quove Iris ab antro,
ausus in emotos aurarum irrumpere tractus.
Macte animo, macte ingenio, cui limina caeli
stellatae et patuere fores, quem cardine laxo
fataque, fortunasque virum, ac decreta deorum
nosse fuit, superumque adytus intrare repostos
rimantem, et caecas reserantem in fata latebras.
Ergo agedum, nymphae Sebethides, eia age, nymphae,
et myrto tumulum ornate atque incingite lauru,
purpureamque adhibete rosam atque effundite nardum.
Canentem, dea, frondentem, dea, junge et olivam,
quae pacem dea concilias. Hic otia pacemque
Italiae peperit fessae, violentaque bella
sustulit immersitque chao, atque in valle maligna
abdidit, et duplici religavit vincta catena,
proscripsitque Erebo, portisque inclusit ahenis,
otiaque Hesperias jussit regnare per urbes."